MEMORIÆ
MEDICORVM
NOSTRI SECULI
CLARISSIMORUM
RENOVATÆ
DECAS SECUNDA,
CURANTE
M. HENNINGO VVITTEN.



FRANCOFURTI,
Apud MARTINUM HALLERVORD,
Typis JOANNIS ANDREAE,

Anno M DC LXXVI.

AMMIANUS MARCELLINUS
LIB. XXIII. C. II.

NULLA VIS HUMANA, VEL VIRTUS, MERUISSE UNQUAM POTUIT, UT, QUOD PRÆSCRIPSIT FATALIS ORDO, NON FIAT.




VIRO
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO,
ET EXCELLENTISSIMO,
DN. JOHANNI DANIELI HORSTIO,
MEDICO DOCTORI UNDIQUE
CELEBRI,
SERENISSIMI HASSIAE PRINCIPIS
D. GEORGII II.
ARCHIATRO QUONDAM DEX-
TERRIMO,
PROFESSORI ITIDEM IN ALMA
LUDOVICIANA PRIMARIO, AC COL-
LEGII MEDICI SENIORI,
NUNC VERO,
IN LIBERA IMPERIALI AD
MOENUM FRANCOFURTO,
PRACTICO LONGE DIGNISSIMO,
DOMINO ET FAUTORI SUO SINGULARI,
MULTISQUE NOMINIBUS ÆSTI-
MATISSIMO;
NE MEMORIAM
BENEFACTORUM AB IPSO,
SIBI PEREGRINO, NIL TALE QUID
PROMERITO,

ET

ET CORAM ET PER LITERAS
EXHIBITORUM,
NULLUM DELERET TEMPUS
LOCORUMQUE DISTANTIA;
HUJUS ÆVI ÆSCULAPIOS
ILLUSTRES,
QUORUM IPSE PRINCIPATUM HODIE
GERIT,
PANEGYRICIS QUIBUSDAM EXORNATOS,
MEMORIÆ ET OBSERVANTIÆ CAUSA,
DEVOTE NUNCUPAT,
UTQUE IPSUM
SUPREMUS RERUM HUMANARUM
ARBITER
DECUMBENTIUM SALUTI,
GERMANIÆ GENTIS DELICIO,
FAMILIÆ HORSTIANÆ SPLENDORI,
FLORENTEM DIU CONSERVET,
INTIME VOVET,
VETEREM, DE QUO PER OMNES VITÆ
SUÆ
DIES GLORIATUR,
FAVOREM SUMMO AMBIENS OPERE,
TANTÆ VIRTUTIS
ET PER EUROPAM INCLUTI
NOMINIS
CULTOR SINCERUS

M. H. VVITTE.



SERIES MEDICORUM SECUNDAE DECADIS.

Obiit anno

1652. Jacobus Fabricius Doct. & Profess. Rostoch.

1653. Ludovicus Jungermannus, D. & Prof. Altorph.

1654. Olaus Wormius, D. & Professor Hafniensis.

1656. Thomas Finckius, D. & Professor Hafniensis.

1659. Henricus Fuiren, D. & Prof. Hafn.

1660. Georgius Kirstenius, D. & Professor Stetinensis.


1662. Christianus Lange, D. & Profess. Lipsiens.

1663. Adolfus Vorstius, D. & Professor Lugd. Bat.

1664. Joh. Antonides van der Linden, D. & Prof. Lugd. Bat.

1664. Marcus Banzerus, D. & Professor Witteberg.

1670. Daniel Becketus, D. & Professor Regiomont.



AUGUSTUS VARENIUS
SS. Theol. & Phil. D. Hebraicorum
Profeſſor ordin.
Univerſitatis Roſtochienſis
RECTOR,

Eminentiſſimo & Experientiſſimo Viro,

DN. D. JACOBO FABRICIO,

Medico Celebratiſſimo, Profeſſori Med. & Super. Mathem. in Univerſit. Roſtoch. per XL. Annos Excellentiſſimo, Ducalium Profeſſorum & Medicorum Collegij, totiusque adeò Academiæ Seniori venerando, Archiatro Mekelburgico, & Sereniſſimorum ac Potentiſſ. Daniæ ac Norvvegiæ Regum CHRISTIANI IV.ININglorioſiſſ. mem. & FRIDERICI III. Perſonæ-Medico Primario,

Funus, quod parant, cum Filio, Generi Excellentiſſimi

Apud omnes Cives Academicos ſolemniter indicit.

Conventus fiet in Templo Jacobæo horâ 1. pomerid.

SI quis ad indicendum, quod ſolemnibus exequiis hodie efferetur, & condetur, funus, & in illo, δημόσιον πένθος imparem me judicabit, is ad ſententiam ſuam meum adſcribat ſuffragium. Abiit, abiit magnus ille FABRITIUS, cui poſt GUILIELMUM LAURENBERGIUM, poſt MAGNUM PEGELIUM, poſt JACOBUM BORDINGUM, poſt HENRICUM BRUCÆUM, poſt PETRUM MEMMIUM, poſt GERHARDUM NENNIUM, poſt PETRUM STRATAGEUM

ὑμιθέυς ἂν ἔργα θεὸς θνητοῖσιν ἔδειξε

(ut BACMEISTEROS, AMSINGIOS, PAULOS, ROSELE-

SELEROS, TUNICHÆOS illibatæ laudis Medicos di-
scretâ memoriâ veneremur)

jamdudum doctior orbis

detulit in Medicis fascibus imperium.

Abiit, qui, ne acerbior per Epidemiarum febrium intestabiles flammas aliis imperaretur abitio, totiens effecit, &, eluso illo alvei infernatis præside, profugas ac in supremo jam ore versantes animas, alter *Æsculapius* revocavit: abiit, qui scientiis hunc ultra Herculis columnas celebrem Balthicum Heliconem, & in hoc totum illustravit orbem; abiit, qui per ἐμπειρίαν & εὐδαιμονίαν ἰατρικὴν, ab hoc ipso Reip. Acad. corpore, omni tabe magis noxias pestes repulit, & tempestivâ antevortit prudentiâ: abiit, qui jam rude donatus, jam primi ordinis comitivam aptus in GERMANIA, novâ ARCHIATRI apud *Gloriosissimum* CHRISTIANUM IV. & *Potentissimum* FRIDERICUM III, *incomparabiles sub Aquilone Reges*, comitivâ inclaruit in DANIA

λαχὼν τοσούτω κῦδος ἐυκλεέστερον.

Abiit, qui *amor* patriæ, *delitium* Daniæ, *præsidium* & *columen* nostræ fuit Academiæ, cujus, ut propter senectutem deflendus non sit, quia maturè discessit: propter raras tamen dotes, & tot illustria merita (projectis, qui hæc mallent εἰς ὕδωρ γράφειν *Laconibus*, imo *subsellii viris*) lamentabilis esse debet memoria. Abiit, qui dignius, quàm aliquis *Archontius*, vel *Theombrotus*, vel *Thadæus Florent*, vel *Petrus Patavinus* (quos Purpuratis honoratos apprimè, *Camerar*. meminit *op. subcis. c. 55*. & *Vallef. de sac. Phil. c. 74.*) vel ipse *Æsculapius* propter unum *Hippolytum*, sustinuit expertus, quod Ecclesiasticus expressit c. 38. 3. Ἐπιστήμη ἰατρῦ ἀνυψώσει κεφαλὴν αὐτῦ, καὶ ἔναντι μεγιστάνων θαυμασθήσεται, καὶ παρὰ βασιλέως λήψεται δόξαν. Cæterum, Threnodias, lacrymas, lamenta, quæ tamen in Seniorum funeribus, nec *Scriptura*, nec *Natura*, nec perseveræ *Stoa* prohibet sententia, indicere, vel *atro cilicio* Academiam, ipsaque ejus mœnia Punico more (*Diod. l. 19. teste*) obvelare, non poscimus; nec ad exequiarum Magnificum apparatum, quem, suspenso Gelone, *Excellentissimi* curabunt *Generi*, quicquam conferre possumus, quàm ut frequentes exequias ejus eamus, quo dignioris nunquam ibimus. Quod in FABRITIO nostro excellens, & supra communem vulgi captum

ſe offerret, peculiari recordatione perſequemur. Equidem uti Anarcharſis in Scythia; ita

Magnos poſſe viros, & magna exempla daturos
Vervecum in patriâ, craſſoque ſub aere naſci.

nec omnes *Boetos* ſtupidos eſſe, præter *Demoſthenem*, cui *βοιωτιάζειν Æſchines* objecit, timiditatem in dicendo ex tempore, *Demades*; enthymemata lucernam olentia, *Pytheas*, Plutarch. *in vit. Demoſth.* teſte, vel ſoli teſtantur *Cappadoces*, ex quibus, (licet acerbius in hos luſerint *Ammian. l.* 46. *l.* 2.

Θᾶττον ἦν λευκοὺς κόρακας, πτηνὰς τε χελώνας
εὑρεῖν, ἢ δόκιμον Ῥήτορα Καππαδόκην.

& *Demodor. l.* 2. *ſ.* 43. dum vocat *Cappadoces φαυλεπιφαυλοτάτους* usque adeò ut

κόσμος ὀλισθήσῃ Καππαδοκιζόμενος)

Viri extiterunt, qui & virtutum ſanctimoniâ, & ſcientiarum excellentiâ totum illuſtrarunt orbem, neque nos vel *κρᾶσιν ἠθῶν καὶ οὐρανοῦ τόπους* examinabimus, vel an Roſtochii *cœlum Atticum* ſit, an *Bœoticum* inquiremus, nec ut, vel jam inde ab equo Trojano, imaginum, vanæ ſcil. Pompæ, ſi virtus abſit, deducendo ſimulacra, *parturiant montes, naſcatur ridiculus mus*, obſtetricem accerſemus: interfuit tamen ad natale ſolum FABRITIO: qui cum die XXIIX. Auguſti Anno LXXVII. ſuperioris ſeculi, Patre, *Viro integerrimo & ſpectatiſſimo* HENRICO Schmidt/ *Sitopœo primario, Reip. Centumviro, & ærarii publici per annos benè multos præfecto* p. m. *Matre item pudiciſſima & honeſtiſſima* DOROTHEA Wulfes/ *Reverendi Viri Dn.* JOACHIMI Wulfes/ *primi Evangelici Paſtoris in Brützе prope Goldbergam in Ducatu hoc Mekelburgico filiâ* p. m. natus & *λουτρῷ ὕδατος ἐν ῥήματι* renatus eſſet, ſimul prætextatus bullam ſumſit, magnum illum NATHANEM CHYTRÆUM pueritiæ & adoleſcentiæ Regem habuit, cujus, in Scholam Patriam Roſtochienſem, tantum fuit meritorum, quantum celeberrimi Philologi Rhodomanni in Lüneburgenſem: ex qua utraque ſchola FABRITIUS vix quinque & *decimas emenſus ariſtas*, ita eſt egreſſus, ut *aggreſſus metuenda viris veſtigia magnæ indolis* adhuc prætextatus ediderit. Perſas *Iſidorus Peluſiota* lib. 4. ep. 108. meminit, quod in virorum claſſem aſcribendi jurarent prius: *καταφρονήσω ἡδονῆς σώματος, καταφρονήσω δόξης κενῆς καὶ κέρδους πονηροῦ. ζηλώσω δ' ἀρετὴν καὶ τιμήσω τὸ θεῖον καὶ γονεῖς. ἀληθεύσω* ...

ἀληθεύσω ·

ἀστέρων ἐδέ τι ζώντων ὑπερβιοσμοι εἰδὼς ἐτ' ἐκών. Non aliter FABRITIUS, qui ex quo positâ prætexta *togam virilem* assumsit, non illam (quod Antonio objicit Cicero Phil. 2.) flagitiosa mollitie *muliebrem reddidit*; sed veræ pietati, & sublimiori Doctrinæ, quasi *datâ stolâ in matrimonio certo ac stabili locavit*, studiumque illi fuit λόγῳ μαθηματικῶς καὶ φιλοσοφεῖν λογικῶς: ut planè in illo fuerit, quod alicubi præscribitur ab Ambrosio: *In senibus gravitas, in juvenibus alacritas, in adolescentibus verecundia, ab ipsa commendatur natura*: unde & noster μακαρίτης expertus est, id quod nobilis Græcorum habet versiculus:

Εὐσεβεῖν παίδεσσι τὰ λῷα δυσσεβεῖν δ' οὔ.

Inclaruerat jam tùm, & totius Orchestræ Astronomicæ judicio ASTRONOMORUM PRINCEPS audiebat, Stemmatibus generosus; ac scientiarum excellentiâ supra stemma Eminentissimus TYCHO BRAHE *Eques Danus*, qui in suâ illâ *Baltica Vranopoli*, totus observationibus & admirandis Astronomicis *non sine sacris* desudabat: militaverat idem, postea incomparabilis Astronomus, XX. annorum Juvenis ab Anno 1566. quo Albo Academiæ nostræ est inscriptus, in his ipsis Varniadum castris: & proinde, cum indigeret, cujus expromtâ operâ in laboribus Astronomicis uti posset, Studiosum Juvenem ex hac nostra expetiit Academiâ. Mittitur FABRITIUS, dignus & Ouranopoli, & Præceptore TYCHONE discipulus anno æt. XVII. Hîc hîc verè in salo *Cœlum terrestre* habuit noster FABRITIUS, qui nisi ipse Uranopolin satis ostendisset, ex tanto Præceptore, & summi ingenij Commilitone CHRISTIANO LONGOMONTANO, Mathematico celeberrimo æstimari posset. Sed ipse se in Uraniâ; non nisi οὐράνια, & cœlestibus ac igneis animabus digna studia excoluisse, satis orbi testatus est, quando post quadriennium, non sine illustri munificentia Nobilissimi Tychonis dimissus, per *Belgium & Britanniam*, illa quæ in *cœlo* didicerat, magno cum applausu, docuit, Studia Astronomica, & id impetravit, ut & per Præceptoris *Tychonis*, *ac Longomontani* commilitonis, & per proprij ingenij pariter ac exercitationum monumenta & merita *Eminentissimorum* in re literaria Virorum dignaretur amicitiâ, & ex illis Studiis sibi compararet *peculium castrense*, ac Astronomiæ ὀψώνια.

Belgium jam & *Anglia* viderant FABRICIUM ex Uraniâ: exoptabat eundem Germania: venit ille, & lauream poëticam invocanti oblatam admisit. Verùm altiùs ferebatur mens Juvenis FABRICII: in τέχνῃ ἰατρικῇ velis passis contendebat; quas puidem ὁρμὰς Hippocraticas, excellentia nobilissimi Studij, & diffusissimus ejus in genere humano usus, ex quo

Post lapsum, macies & nova febrium
Terris incubuit cohors
Absentisq; prius nulla necessitas
Leti corripuit gradum

vehementer accendebat. Equidem, cum, ex quo *per unum hominem peccatum intravit in mundum & per peccatum mors*, quatuor sint modi quorum unus hanc mortalem vitam conficit: 1. *violentia*, per quem externæ vi mortalis succumbit: 2. *carentia*, ubi fame vil siti deficit. 3. *humorum dyscrasia & intemperia*; 4. τῦ θερμ.ˉ ἐμφύτε *deficientia*; & tota ἰατρικὴ circa tertium maximè occupetur, fatemur, extra *pollucibiles cœnas* si foret, & illam Vacunæ indulgentiam, quam graphicè Sapiens expressit *Ecclesiast*. c.37.32.33.34. minus Medicorum fore: at quis seculum ἄνευ ἀπληςίας καὶ γαςριμαργίας, &, etiam ubi hæc exulant, ἄνευ δυσκρασίας in *corpore mortali*, reddet? Næ id dabitur, ubi novum cœlum aër, aqua, terra ἐν μακάρων νήσοις dabitur, & ubi *ar immortalitatis* à Sinensium Regulis explorabitur. Cœterum, extra illa si esset, annon nobilissima est & gloriosa, quæ *Altissimum, à quo est Medicina, & qui è terrâ procreavit pharmaca*, vel in Botanicâ *palpabilem* facit naturâ? Lucas Evangelista Medicus fuit: quàm autem ille APOSTOLO in medullis ac visceribus hæserit, vel ex *salutatione* hic constare voluit, quando ad Coloss. c.4. *Salutat*, inquit, *vos, Lucas* ὁ ἰατρὸς ἀγαπητὸς *Medicus ille*, *singulariter dilectus* (verè enim Chrysost. σφόδρα μέγα τὸ εἶναι ἀγαπητὸν τῷ Παύλῳ in h.l. scripsit) & præclarè *Basil. Magnus* in Asceticis: *cum in Paradiso non simus, Medicis indigemus*. Sed nos ad τὸν ἰατρὸν ἀγαπητὸν FABRITIUM redimus: qui cùm post Uranopolin, *Belgium*, post *Belgium Britanniam* illustrasset, in *celebrioribus Germaniæ Academiis* clarissimos Medicos, & tùm ἰατρικῆς ὕλης ad miraculum usque doctos: tùm τῆς ἐμπειρίας εἰς τὸ ἄκρον ἐληλακότας audivisset, & eminentia eruditionis Medicæ spectacula edidisset XXVI. æt. anno, hujus seculi II. *Birretum Doctorale Hippocraticum* Jenæ virtute intaminatâ & *repulsa*

repulsa sordida nescia admisit, & Doctorali honore fulgens in patriam velut palæstram Medicam rediit. Doctor ergò reversus planè ex præscripto *Poëta*

ὡραῖος δὲ γυναῖκα τεὸν ποτὶ οἶκον ἄγεσθαι
μήτε τριήκοντ' ἐτέων μάλα πολλ' ἀπολείπων
μήτ' ἐπιθεὶς μάλα πολλά. Γάμος δέ τοι ὥριος οὗτος.

27. ætatis anno *lectissimam ac pudicissimam virginem* MARGARETAM, RUDOLPHI MULLERI Civis Rostoch. spectatissimi ex TILSA DENIA, *Experientissimi quondam Viri* DN. FRANCISCI DENII, *Medici per Mekelb. & vicinas provincias incluti*, ex fratre, nepte, *filiam* solemni ritu domum duxit, cum quâ & τίμιον γάμον & κοίτην ἀμίαντον, eamque benedictam amœnitate sobolis amœnissimæ, coluit. Epaminondas, moriturus, *cum quidam adstantium profusis exclamarent lacrymis*: Siccine sine liberis è vitâ discedis! *Non*, Δία, *respondit*: Sed *filias duas, Leutricam sc. & Mantineam victorias post me relinquo*, Diod. Siculus teste. Quod si id est liberos relinquere, tot beatissimus noster Senior habuerit, quot *Discipulos*, quot feliciter *curatos*, quot *virtutis monumenta reliquit*. Cœterum nec propriâ magis sobole FABRITIUS caruit, qui ex fœcundissimâ & pudicissimâ suâ Cajâ PHILIPPUM JACOBUM, JOHANNEM ADOLPHUM, MARGARETAM ELISABETAM, SOPHIAM I. HENRICUM I. SOPHIAM II. feliciter quidem sustulit: sed quos omnes *abstulit atra dies & funere mersit acerbo*. Superant tamen, FABRITII sanguis (& supererit quum diutissimè!) ELISABETHA nobile sexus sui decus & corona, *Experientissimo & Excellentissimo Viro* DN. SIMONI PAULI, Medic. D. & uti *antehàc in Acad. patriâ, Professori celeberrimo: ita postea in alterius patria, Dania, Regia Hafniensi Academia, Serenissimi ac Potentissimi, augustiss. memoria Regis* CHRISTIANI IV. *Anatomica, Botanica, ac Chirurgica primo ac publico per IIX. annos Professori Publico, & Practico publ. civibus exercenti; nunc Serenissimi pariter ac Potentissimi* DANORUM *&* NORVVEGORUM *Regis* FRIDERICI *III. Medico Aulico*, stabili, & pulcherrima sobole in delicium ac decus Avi ac Patris efflorescente, florido feliciter antehâc est juncta connubio: Superat HENRICUS II. Med.Cand. Superat SOPHIA III. *virtutum sui Sexus decoribus fulgida*, vereque ἄγαλμα τῆς ἀρετῆς, Amplissimi ac Consultissimi Viri Dn. DANIELIS SANDOVII, J.U.D. *celeberrimi, Practici, & Advocati in*

judicio Provinciali solertissimi, Costa fidelissima, & elegantissima Sobolis Mater fœcundissima, Et hactenus quidem vidimus FABRICIUM *Doctorem, Maritum, Patrem:* videamus nunc per quos gradus adscenderit ad illum eruditi honoris apicem. Incubuerat Arcto huic per Autumnum anni 1602. *lues vehementissima,* quæ, cum putaretur extincta, sequenti anno 1603. ardentiori etiam recruduit flammâ, ut unâ æstate 1300. homines ex Rep. Oppidana: ex Academica, benigniore fato, nonnisi *celeberrimum Theologum* D. DAVIDEM LOBECHIUM, & 4. Studiosos leto immaturo dederit. Venit tùm *novellus Doctor* FABRITIUS; impavidus morborum domitor ROSTOCHIUM, totâ patriâ plaudente, nonnisi illâ *febrium Morboniâ* ejulante, cui morti ipse pallida mors, pestisque fuit, qui ex relegata, felicissimis curationibus, illa pestium hydra, primum *Æsculapij* honorumq; Signum, sibi ipsi *candidis velis* in Patria explicuit: unde factum, ut ab *Illustriss. Domina, Domina SOPHIA, Illustrissimi ac Celsissimi DN. IOHANNIS, Ducis Mekelb. Vidua, Sanctæ memoriæ,* non solùm in *aulam Lüpzensem,* dato annuo Stipendio, vocaretur: sed & *ejus filiis Iunioribus, Ducibus Mekelburgicis,* in Sveciam proficiscentibus jungeretur itineris comes. Reversus ex *Svecia Archiatri* eminenti honore attollitur ab *Illustrissimo & Celsissimo Principe ac Domino, Dn. IOHANNE ALBERTO,* Duce Mekelb. *gloriof. memoriæ:* cumque excessisset ex vita pariter ac Academia, *Incomparabilis Medicus GVILIELMVS LAVRENBERGIVS Medicin. & Mathemat. Superiorum in hac Acad. Professor* celeberrimus, accessit anno clɔ Iɔc XII. *PROFESSORIS Superiorum Mathemat. & Medicinæ titulus:* quàm in utroque *Archiatri & Professoris* fastigio, ex asse satisfecerit, testantur præter aulam Mekelburgicam, *prælectiones publicæ,* testantur *demonstrationes Anatomicæ:* testantur *operationes Chymicæ,* gratis ut plurimum, nec sine sacris, Studiosis domi per XXV. annos exhibitæ, ut plurima silentio nunc veneremur potius: quàm impari eloquio recordemur. Memor erit Academia, donec erit, insignis illius beneficij, quod celeberrimus JCtus Dn. *PETR. VVASMVNDT, Rector tùm hujus Vniverf.* ad ann. clɔ Iɔc XXIIX. in membranis Academicis autoritate publica his verbis descripsit: *Cæsaris Ferdinandi II. inclementiore jussu, Illustrissimi nostri Dn. ADOLPHVS FRIDERICVS, & Dn. IOHANNES ALBERTVS celebratis hujus anni Paschatos solempnibus,*
ex

ex avitis suis provinciis tristissimo exemplo emigrarunt, suiq; ingens desiderium cunctis subditis reliquerunt, quorum loco ALBERTVS VVALDSTEINIVS, Fridlandiæ & Saganæ Dux nobis præficitur, qui infinitis exactionibus, plerosq; incolas in 4. usq; annum miserrimè divexatos, omnibus fere fortunæ bonis exuit, & ad incitas redegit. In his verò publicis malis, optimatum bellicorum insperatâ erga Academiam benevolentia, quàm Collega noster D. IACOBVS FABRITIVS apud illos sua sedulitate in arte Medica primitus obtinuit, & deinde nobis etiam conciliavit, ac diligentissimè fovit, ab horridis militum injuriis mediocriter tuti viximus, & mirabiliter servati fuimus, idq; solius Dei providentia, cui merito cum posteritatis posteritate gratias debito corde persolvimus. Agnoscet beneficium, quisquis illorum temporum, & hujus maximè urbis, quæ militare Cæsaris præsidum ad 3000. habuit, ac Academiæ, die inprimis XXII. Jan. ann. XXXI.

quo cade dira, nisu inaudito caput
præscindere ausa est Strenuo belli duci H. L. ab H.
furens Erynnis

Statum, revocabit. Cum autem æstate anni cIↃ IↃc XXXI. maxuma hujus Provinciæ pars, à milite Cæsareo, sub *Ducu Fridlandiæ Generalatu*, liberata fuisset, tandem & *Rostochium* mense *Octobri*, Domitium *Decembri*, Wismaria *Ianuario*, in Ducum Mekelburgicorum, *Dominorum legitimorum* potestatem rediisset (pro quo in serenissima Capita & nos omnes, qui sub illorum vivimus patrocinio, collato insigni beneficio, Gratia sit JESU CHRISTO!) uti in absentes Celsissimos Principes: ita in redditos Illustrissimo Patrimonio Dominos clementissimos, integro & subjectissimo fuit affectu: & substitisset in illo Archiatri & Professoris (ac an. 1632. & 1636. Rectoris Univ. Rost.) fastigio, jamdudum, Constantinop. fuisset, emeritus & comitiva donatus, nisi mors Celsissimi sui Princ. Dn. JOHANNIS ALBERTI, *Ducis Mekelb. &c. &c.* intercessisset, cui non potuit non, qui tot annos Archiater incomparabili Principi fuerat, monumentum propria manu conscriptum in Albo Academiæ his verbis FABRITIUS relinquere; & in illo simul devotissimum affectum exprimere: *Hoc anno* cIↃ IↃc XXXVI. *mens. April. die XXIII. post XV. septimanarum pertinacem agritudinem, ICtorum cum Hydropi, in plena spe ac fiducia meritorum Christi Illustrissimus & Celsissimus Princeps* DN. JOANNES ALBERTUS, *Dux Megapol. &c. Gustrovii animam*

ad cœlum exhalavit, postquam vivendo absolvisset, annos 46. *min.* 13. *diebus*. Sublato ergò JOHANNE ALBERTO gloriosiss. mem. cum ex feliciſſimis per Holſatiam curationibus, quæ Rectoratum FABRITIO per trimeſtre protulerunt, fama *Æſculapij* noſtri jam glorioſiſſimum Danorum Regem, totamque Arctum in ſui venerationem & deſiderium convertiſſet, *quod felix fauſtumq; fuit*, Anno 1636. Potentiſſimus *Rex Daniæ, Norvv. &c. &c.* CHRISTIANUS IV. *immortalis memoriæ*, FABRITIUM in Regii corporis Medicum *à Celſiſſimo ac Illuſtriſſimo Domino*, Dn. ADOLPHO FRIDERICO, Duce Mekelburgico, &c. &c. *Domino noſtro longè clementiſſimo* expetiit, &, ſalvo Profeſſoris emeriti honore, impetravit. Quàm ſe in hâc illuſtri Comitiva, tùm *Regi incomparabili*: tùm *toti Regno Daniæ* Domi, forisq; probaverit, teſtatur glorioſi Regis CHRISTIANI IV. in FABRITIUM munificentia, & reconciliata nunquam clementia: teſtatur *Potentiſſimi Hæredis ac Succeſſoris FRIDERICI III.* ſententia, quâ, ſimul ſucceſſit. & locum & Salarium gratiosè FABRITIO noſtro confirmavit: cui Sereniſſimo Regi talem ad noviſſimum usque ſpiritum ſe præſtitit: qualem Magno CHRISTIANO Patri. Vidimus FABRITIUM jam inde à natali & Thalaſſicâ illâ *Huena* Uranopoli, adusque illam, in quâ ad veram aſcendit Uranopolin, honorum, qui in MEDICUM unquam cadere potuerunt, eminentiam. Non caruit equidem illa felicitas ſuis calamitatibus, quas tùm publicè ab Anno maximè 28. ad 32. exactionibus & deprædationibus militaribus expoſitâ Provinciatû tùm domi expertus eſt, acerbiſſimas. Præter enim, quod, uti Symbolum piè def. fuit

Vigiles dat purpura noctes

vidit ſexies ſobolem elegantiſſimam acerbis efferri funeribus, PHILIPPUM maxumè JACOBUM, qui cum jam igneâ, planeque Patris ſimili mente, linguas Orientales omnes penitus imbibiſſet, & Oratoriæ apud nos Profeſſor publica jam fama excelleret, in ipſo flore juventutis, XXIII. annorum Juvenis anno ſc. cIↃ IↃcIↃ XXX. menſe Auguſto, dum Orientem ſcrutatus eſt, corpore occidit, mente ad ἀναβλὴν ἐξ ὕψους evolavit. Vidit fideliſſimam domus columnam pariter ac tori ſociam anno XXIII. lamentabili funere conditam. Vidit; ſed & id *Cypriani* admiſit: *non poteſt eſſe victoria, niſi præceſſerit pugna: cum fuerit in pūgna congreſſione victoria, dabitur vincenti corona; gubernator in tem-*

peſtate

pestate dinoscitur: miles in acie probatur. Delicata jactatio est, cum periculum non est: & expressit quod vetus apud *Babr. etymol.* versiculus requirit:

Ἄ σοι πίπρωται ταῦτα τλῆθι γενναίως
καὶ μὴ σοφίζου· τὸ χρεὼν γὰρ οὐ φεύξῃ.

August. l.6. Confess. *Ambrosium*, dicit, *felicem quendam hominem secundum seculum sibi æstimatum, quem sic tanta potestates honoraverint; caterum cœlibatum ejus laboriosum sibi visum esse*: magis id de Eminentissimo FABRITIO per 30 annos viduo dicere liceret, nisi ἐπ' ἄκραν γραμμὴν & *ultimam rerum lineam* properandum esset, de qua pulchrè Euripid. Electr.

Μή μοι τὸ πρῶτον βῆμ' ἐὰν δράμῃ καλῶς
νικᾶν δοκείτω τὴν δίκην πρὶν ἂν πέλας
γραμμῆς ἵκηται, καὶ τέλος κάμψῃ βίου.

Diodorus, equidem, Siculus: *insigni*, inquit, *corporis robore & sublimi mentis acumine præditum esse perquàm est difficile*, unde Epaminondum vel illo nomine attollit, quod in illa peritiæ militaris excellentia, in illa æquitate ac celsitudine animi, qua omnes Imp. superaverit, *firmo ac robusto corpore fuerit*, miratus *utriusq; boni largitionem* ab invidente aliàs natura concessam, ut idem *& Valentissimus esset & sapientissimus* (Valer. Max. l. 1. c. 12.) licet autem à robusta & valida ætate panepyricum Fabricius p. d. non poscat, qui & scientiarum excellentiam & illud, uti *Herm. Trismegist.* vocat ἓν καὶ μόνον ἀγαθὸν εὐσέβειαν, & illos, quos *Pelusiot. l. 3. ep.* 151. ἐλευθερίας ψυχῆς characteres ponit, excellenter habuit, cœli tamen beneficium fuit, quod & *habitudo contigerit valida, & sanitas robusta FABRITIO* Medico: quem uti *Iuvenem mori*, in salibus habetur: ita in jocoseriis, si Medicus ante novissima, frequenter ingeminet illud Comici:

lien necat, renes dolent
pulmones distrahuntur: cruciatur *jecur*
radices cordis *pereunt, vires omnes dolent*.

Vixerat hactenus *FABRITIVS* valetudine satis integra, & ætate ultra Davidica, quippe jam in LXXV. æt. anno: non expertus alium ex Morbonia hostem, nisi communem senibus *MARASMVM*, per quem cum mortali *Spiritu & humore* deficit τὸ θερμὸν ἔμφυτον. Sed tot morborum terror, impavidus hunc *invincibilem* admisit: nec *mori timuit, qui ex aqua & spiritu renatus* (verba sunt *Cypriani Martyris serm. 4. de mort.*) *se Christi cruce & passione censeret, & de hoc*

ſeculo recedentem ad æternam vitam *tranſiliturum ſcivit. Mortalitas*, quippe, *Chriſti hoſtibus peſtis eſt: Dei ſervus ſalutaris exceſſus.* Quod ergo jam moriturus *Auguſtinus* ſuprema voce expreſſit: *laudatos Chriſtianos ſine digna & competenti pœnitentia de corpore exire non debere*, id FABRITIUS noſter qui cum Iſidoro lib. 3. epiſt. 285. *ὢν ἀναμάρτητος* fuit *ὢν ἀναμαρτήτους ζητῶν φίλους*, ſerio meditatus, pridie ante obitum Reverendo & Clariſſimo Viro Dn. M. JOHANNI BREMERO, *Seren. R. M. Dan. & Norvveg. Concion. aulico Germanico*, devotiſſimè peccata confeſſus, *Sacramentum corporis ac ſanguinis* JESU CHRISTI impetravit. De *Monica* Matre *Auguſtinus* l. 9. conf. *Quanquam*, inquit, *illa in Chriſto vivificata, etiam carne, nondum reſoluta, ſic vixerit, ut laudetur nomen tuum in fide moribusq; ejus, non tamen audeo dicere, ex quo illam per baptiſmum regeneraſti, nullum verbum exiviſſe ab ore ejus contra præceptum tuum. Et væ etiam laudabili vitæ hominum, ſi remota miſericordia diſcutias eam.* Non aliter ſenſit ὁ *μακαρίτης* noſter, qui, quod *tutiſſimum* æſtimat Bellarm. l. 5. de juſt. c. 3. & 7. in *ſola DEI gratia* & propoſito in *ſanguine* JESU CHRISTI *ἱλαστηρίῳ*, de quo ſuaviter *Θεολογοῦντος* mente adhuc integra, illo ipſo noviſſimo inter mortales die, audivit Reverendum admodum & Excellentiſſimum Virum Dn. THOMAM LINDEMANNUM, *SS. Theol. D. Celeberrimum, & Teuton. Hafnienſ. Eccleſ. Paſtorem Regium*; ſine dolorum vehementiorum, qui oculis in morte natantibus atra, excruciare corpuſculum ſolent, ſuaviter d. XIV. Aug. Hafniæ *ἐξέπνευσεν*. Ita ergò *abiiſti, abiiſti*, magni FABRITI! Et abitionem quidem ex hac vita, quæ verè eſt *σκιᾶς ὄναρ* & *ξένης ἐπιδημία* ad amœniſſimas amœnitates, ubi nunc ultra *purpuram, ſceptra, coronas* cœlo recepta mens triumfat, gratulamur: neque enim *potuiſſet vita æterna ſuccedere, niſi*, ut Cypr. loquitur, *hinc contigiſſet exire: non eſt exitus, ſed tranſitus: & temporali itinere decurſo ad æterna transgreſſus. Quis te ad meliora feſtinaſſe, invideat? quis non ſe quoq; ad Chriſti ſpeciem reformari & ad cœleſtis gloriæ dignitatem venire citius exoptet? Hoc nos oſtendamus eſſe quod credimus, ut cum accerſitionis propria dies venerit, incunctanter ac libenter ad Dominum, ipſo vocante, veniamus. Quantus te ibi charorum expectavit numerus? parentum, fratrum, filiorum frequens te turba deſideravit: jam de ſua immortalitate ſecura, & adhuc de noſtra incolumitate ſolicita: ad horum conſpectum*

venire

venire, quanta & illis & nobis in commune lætitia est? illic Apostolorum gloriosus chorus: illic Prophetarum exultantium numerus, illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis & Passionis victoriam coronatur. Quod ergò jam requiescas, quod *pulverem detergas*, quod *vigiles det purpura solis*, quod *jam soluto stadio coronam exigas*, gratulamur: at meritorum tuorum pondera revolventes, ereptum terris te dolemus & FABRITIUM exoptamus.

Quod ergò supremi honoris superest, omnes quotquot jurisdictionem Academicam agnoscunt, monemus, ut Celeberrimi FABRITII *per XL. annos Mathematici & Medici Professoris, Collegij Ducalis, & Facult. Medicæ totiusq; Academ. Senioris Archiatri, item Mekelburgici & Potentissimorum Daniæ Regum Personæ Medici* exequias, ubi signum dabitur *eant reverenter*, & huic bono *hora 1. in Templo Iacobæo conveniant frequenter*, rati se digniorem nunquam comitaturos. Inter eundum meditamini illud Cypriani cont. Demetr. *Quando hinc excessum fuerit, nullus jam locus pœnitentiæ est: nullus satisfactionis effectus: hic vita amittitur, aut tenetur: hic saluti æternæ cultu DEI & fructu fidei providetur. Hic cum Christo semper vivamus, & facti per ipsum Filij Dei cum ipso semper exultabimus. Non enim potest non semper esse latus, qui cum morti esset obnoxius, factus est immortalitate securus*, & illud Mon. Clun.

Hora novissima tempora pessima sunt: VIGILEMUS:
ecce minaciter imminet arbiter ille supremus.

P.P. ROSTOCHII XV. Septemb. Anno cIↄ Iↄc LII.
sub Rectoratus Academici Sigillo.

Plura de laudibus meritissimi hujus Viri videantur, in *oratione Panegyricâ* Rostochij habita, ab *Andrea Tscherningio*, P.P. anno 1653. in 4.

EPITAPHIUM.

D. O. M. S.
DOCTOR. JACOBUS. FABRICIUS.
ROSTOCHIENSIS.
DUORUM. POTENTISS. DANIÆ. NORWAGIÆ. REGUM.
CHRISTIANI. IV. AC. FRIDERICI. III.
NEC. NON.
ILLUSTRISS. PRINCIP. MEGAPOLITAN.
JOHAN-

JOHANNIS. ALBERTI. AC. SOPHIÆ. MATRIS.
ARCHIATER.
PATRIÆ. ITIDEM. ACAD. PER. XL. ANNOS.
MEDIC. AC. MATHEM. PROF. PUBL.
VIRTUTE. AC. ERUDITIONE. SUA. FAMILIÆ.
SUÆ. PRÆLUCENS. POSTQUAM. ANNOS.
LXXV. NATUS. cIↄ Iↄc LII. XIV. AUG.
VITAM. GLORIOSE.
HAFNIÆ. FINIISSET.
HUC. TRANSFERRI. VOLUIT.
UT. EADEM. URNA. CUM. UXORE. SUA.
MARGARETHA. MYLIA.
LIBERIS. AC. NEPOTIBUS. ALIQUOT. HIC. ANTE.
TUMULATIS. CONDERETUR.
CUJUS. HONORI. AC. MEMORIÆ. ÆTERNÆ.
HOC. MONUMENTUM. L.M.Q. STATUERE.
VOLUERUNT. GENERI. ET.
FILIÆ.

D. SIMON. PAULLI.
S.R M. DAN. & NORW.
FRIDER. III. MEDIC. AC.
PRÆLAT. ARHUSIENS.
ELISAB. FABRICIA.

DANIEL. SANDOVIUS.
J.U.D.
SOPHIA. FABRICIA.

SCRIPTA.

De Vulneribus capitis & aliarum partium singularibus Epistola. Extat cum Gregorii Horstii Observat. Medic. singularium lib. IV. prioribus p. 483. *Vlmæ* 1628. in 4.

Institutio Medici Practicam aggredientis: *Rostochij* 1639. in 4.

Periculum Melicum, seu juvenilium fæturæ priores: *Halæ Saxonum* 1600. in 8.

Uroscopia seu de Urinis Tractatus: *Rostoch.* 1605. in 4.

De Cephalalgia autumnali; *ibid.* 1617. in 4.

Dissertatio de novo antiquo capitis morbo & dolore, cum aliis disquisitionibus Medicis, de difficilioribus nonnullis materiis practicis: *ibid.* 1640. in 4.

Oratio Renunciationi novi Medicinæ Doctoris præmissa de causis cruentantis cadaveris præsente homicida: *Rostoch.* 1620. in 4.

Dispu-

Disputationes publicas habuit creberrimè, in Roſtochienſi & Hafnienſi Academiis, quarum ſunt: De Juramento Hippocratis: De Colica: De Vertigine: De Catarrho: De Peripneumonia: De Pleuritide: De Empyematis natura & curatione: De Hæmortyſi ſive ſanguinis per os rejectione: De Phthyſi: De Angina: De Tuſſi: De Aſthmate: De Ephialte ſeu Incubone: De Dyſenteria: De Scorbuto: De Variolis & Morbillis: De Cholera: περὶ τῆς πνιγὸς ὑστερικῆς: De Ictero & Flavo: De Peſte: De Calculo: De deliriis in genere, & in ſpecie de Phrenitide, &c.

PROGRAMMA
IN FUNERE
Viri Nobiliſſimi, Excellentiſſimi atq; Experientiſſimi

DN. LUDOVICI JUNGERMANNI,

Medicinæ Doctoris & Profeſſoris Botanici per Europam celeberrimi,
P. P.
à
RECTORE UNIVERSITATIS ALTDORFINÆ
M. ABDIA TREW, MATH. ET PHYS. PROF.

SApienter Seneca ut alia pleraque, dum ait: *Omnibus poſſe contingere ut bene vivant, ut diu nulli.* Prius illud de benè vivendo juxta ipſius ſenſum ad Philoſophiam practicam reſpicit, quàm omnibus poſſe putat contingere, quia omnibus recta ratio data ſit, quàm ſi adhibere velint, rectè ſapere poſſint, in quo beatitudo juxta eos quos ipſe ſectabatur conſiſtat. Etſi verò nobis Chriſtianis illa ſapientia

non

non sufficit, qui sciamus humanam rationem adeò non esse capacem eorum quibus beatè sapere docemur, ut potiùs ea aversetur; rectè tamen ad nostrum sensum dictum interpretari possumus: quia fidei quæ vera sapientia & sanctæ vitæ ὁδηγὸς est, adeoque salutis æternæ media, nemini prorsus sunt denegata, qui autem ita vixit ut ad æternam salutem viam sibi struxerit, benè vixit. Sed quid alterum? *nulli ut diu vivat contingere?* At contigit ei, cui funus hoc ducimus, quippe qui Anno ferè superavit *longissima*, ut *Moses in Psalm.* 90 determinavit, *vita* apud homines *mensuram, Annos ipsos LXXX.* Verùm enim verò si vel illum ipsum Psalmum, vel reliquam scripturam, vel saltem nos intueamur, affirmare poterimus *nullum hominem vel diem vixisse, nedum diu.* Absurde hoc? Ergo absurde Moses & ex ipso Petrus Apostolus, qui *mille Annos* quos nemo hominum, ne eorum quidem qui ante diluvium adeoque longissimè vixerunt, implevit, esse dicit, *ut dies*, & quidem non qui jam in cursu est, sed *qui HERI transiit.* In Oculis DEI scilicet, quid si dicam in nostris etiam? Quid enim? qui diutissimè vixit; eum moriturum non æquè ac *Ezechiam* dicere putatis posse; *Generatio mea ablata est, & convoluta à me quasi tabernaculum pastorum: præcisa est velut à texente vita mea?* Ita inquam est. Tempus præteritum, quantumvis fortè prolixum sit visum, cum instaret, aut etiam flueret, breve est ei cui transiit. Hinc non juvenes tantum, sed etiam Senes, & maximè quidem, si *Aristoteli* credimus φιλόζωοι ἐπὶ τῇ τελευταίᾳ ἡμέρᾳ. Torquet scilicet ipsos quoque mortales esse, ideò fortasse maximè, quòd fugacitatem vitæ exquisite magis sentiant, cùm contra juvenes, ut longissimam vitam optant, ita tanquam exoptassent spei suæ blandiantur & votum suum, cujus incertum est an sint futuri compotes, perinde tamen ac si compotes jam essent amplectantur. Hinc iterum sapienter sapiens ille initio laudatus. *Alter*, inquit, *adolescens decessit, alter senex, aliquis præter hos infans, cui nihil amplius contigit quam prospicere vitam, omnes hi æquè fuere mortales, etsi mors aliorum longius vitam passa est procedere, aliorum in medio flore præcidit; aliorum interrupit principia, mors omnium par est.* Hæc ita præfari visum est in funere hoc senili, ut intelligeretis, Cives Academici, non minus expressam mortalitatis in ipso imaginem, quàm in coætaneo vobis, aut eo etiam qui nec horas ot quot iste annos viderit. Est autem is Vir *Nobilissimus,* Excel-

Excellentissimus atq; Experientiss. Dn. LUDOVICUS JUNGERMANNUS *Medicinæ Doctor & ejusdem, maximè quoad Botanicen, in hac Vniversitate Professor publicus.* Pater ipsius fuit *Vir Nobiliss. & Consultiss.* Dn. CASPARUS JUNGERMANNUS, J. U. D. *Prof. publicus, Procancellar. & Senior Facultatis Iuridicæ in Vniversitate Lipsiensi.* Mater URSULA *omnium virtutum,* tàm pro se quàm Patris nomine. *Magni illius* JOACHIMI CAMERARII cujus erat filia, laude cumulatissima. Ex his parentibus natus est Lipsiæ A. C. cIↄ Iↄ LXXII. die IV. Julij. Hi ut Christianismo per Sanctissimum Baptismatis Lavacrum initiatum maturè voluerunt, ita etiam ipsi ad studia literarum privatim Medicinæ & partis ejus præcipuè Botanicæ authores & adjutores fuerunt. Fundamenta horum cùm jecisset Lipsiæ non contemnenda. Jenam primò, post huc ad nos Altdorffium venit, ubi cum biennium transegisset, (intra quod Catalogum sponte nascentium cum Synonymiis conscripsit, quem postea Anno cIↄ Iↄc XXV. Clarissimus *Caspar. Hofmannus* Typis exscribi curavit) Giessam se contulit, in qua Universitate magnam laudem ex singulari Plantarum notitia adeptus (quippe pro qua excolenda & Studiosorum profectibus in hac parte adjuvandis hortum instruxerat) Disputationum etiam ac Declamationum documenta cum dedisset laudatissima, Doctor Medicinæ ibi creatus & ad Professionem Medicam admotus est, cui per triennium cum laude præfuit, eâ celebritate quæ eo usque increbuit, ut in Angliam in locum celeberrimi Botanici Matthiæ Lobelij invitaretur. Sed Germaniæ conditiones prætulit. Ad descriptionem etiam Horti Eichstetensis totâ Germaniâ celeberrimi laudabilem & haud vulgarem operam contulit. Alterâ vice ad nos venit A. C. cIↄ Iↄc XXV. Professionem Medicam-Botanicam suscepit, cui quantâ industriâ in Annum usque 28. præfuerit testatur hortus noster Medicus, apud exteros etiam celebris, in quo & Agro nostro Altdorffino ultra duo millia simplicia visuntur, quorum notitia ejus fidei apud Studiosos quibus ostendit, plantatio vero præsertim exoticorum, ejus solertiæ maxima ex parte debetur. Certè ita cordi ipsi hæ operæ fuerunt, ut morbus hic ultimus, doloresque quos acerbissimos in ipso sustinuit, hoc uno ferè nomine molesti ipsi fuerint, quòd metuebat Vere proximè elapso, ut hortus in hunc Annum ita uti optabat institueretur & adornaretur quod manum admovere ipse non posset. Sed nimirum quod ipse

facturus erat ſeminibus plantularum ſuarum, id fata in ipſo meditabantur. Podagricus fuit à multis jam Annis, cui ante annos non ita multos acceſſit Apoſtema criticum poſt febrim malignam, cum ereſipelate, cujus fluxus conſueti ſubitò ſubſiſtentes, gangrænam ſcorbuticam ante trimeſtre (circa motum Martis in loco Lunæ natalitio oppoſito, tardum & Retrogradum) in extremitate pedum pepererunt; adfuit tandem *ſenectus*, quæ, ut Comicus ait *ipſa morbus eſt*, & quidem talis, cujus intuitu metuendum erat, ne violentis ſectionis & aliis, quæ interdum adoleſcentia admittit, remediis, natura effæta non amplius obſequens morbi violentiæ nihilo minus ſuccumberet. Factum itaque lenioribus quod poterat, donec magis magisque fatiſcentibus naturæ viribus, intra horam XI & XII. pomeridianam diei hujus menſis VII. extinctus eſt. Rectoris officio in Univerſitate Gieſſena ſemel, in hac vero ter functus eſt. Vitæ genus privatim ſibi delegit quod ad id idoneis optimum, certè commodiſſimum & à moleſtiis plerisque ac ſolicitudinibus hujus vitæ remotiſſimum eſt, cœlibatum ſcilicet, in quo non eſt neceſſe continentiam prædicari, qua nulla in ipſo opus erat, virtus enim eſt cum lucta Ariſtotele cenſore conjuncta, cujus indicium, nulla quæ unquam in hoc genere emicaret flamma, præbere animadverſa eſt. Vitam in converſatione communi duxit eam, qua moleſtum ſe nemini, comem & commodum omnibus cum quibus viveret præbuit; quod tantò magis in ipſo mirandum, quod tantò magis in ipſo mirandum, quod quotidianum convictum non cum ſuæ ætatis hominibus ſed cum Juvenibus celebrarit. Ut ita in quorum animis conjungendis nihil inveniret, quæ plurimum alias momenti putatur habere, morum ſimilitudo, humanitas eos & comitas vinculo non parum admirando inter ſeſe devinciret. Affectus ſui in Univerſitatem ſignum præclarum dedit, cum Bibliothecam ſuam Bibliothecæ Univerſitatis publicæ inſeri poſt obitum voluit. Feſtivitatis ingenij ſingularis in ipſo indicium, quantumvis paucorum eſſet verborum, dederunt Epigrammata & potiſſimum Anagrammata, in quibus tùm fingendis tùm applicandis ad admirationem uſque felix erat. Cui itaque non tantùm Authoritas quòd Doctor & Profeſſor Univerſitatis noſtræ fuerit, ſed etiam convictus cum plurimis veſtrum, Cives Academici, imò tota vita laudabiliter acta & in venerandam uſque ſenectutem perducta frequentem

quentem funeris comitatum meritò impetrat, pro eo multis quasi intercedere, opus esse vel ideò non putamus, ne de humanitate atque observantiâ vestrâ dubitare videamur. Ite quibus commodum est, commodum autem erit omnibus qui poterunt, venerando huic Seni exequias, quarum officium si ipse non sentit, is tamen sentit cui pietas cujusq; non sine remunerationis voluntate & facultate maximè probabitur. B.V.P.P. die Junij XII. qui proximus est à Solstitio æstivo Anni cIↃ IↃc LIII.

In obitum præclari hujus Viri funebrem habuit concionem *Georgius König*, SS. Theol. Doct. & Prof. P. ex 2. *Timoth.* IV, 18.

LUDOVICUS JUNGERMANNUS,

καὶ' ἀναγ.

NUNC AD VULNUS JESU MIGRO.

Pergit Defunctus.

HOrto *Academiæ* flos *hic ferè defuit unus,*
Unum profectò summe triſtabar abesse,
Cui JESU *noſtri triſtis dat* Passio *nomen.*
Tandem aliquis dono datur: At necdum Granadilla eſt,
Indica quâ tellus ſub ſole ruente ſuperbit.
Hanc magis & magis exoptans; Non advolat, ajo,
Per ventos florum regina: Erit ergo migrandum:
Pes, fac officium! Negat hic; niſi ſcipio ſervet.
Hunc etiam arripio: Sed adhuc iter indupeditur,
Labor computreo, nec tantum eſt, enſe recidi
Putrida grandævo: paulatim cuncta trahuntur.
Ergo mihi Granadilla vale, violæq; valete,
Vosq; omnes hortûm gemmæ, mea ſumma voluptas!
Non jam lychnidibus recreor, flammisve roſarum,
Non mihi porro placet prati nativa Smaragdus,
Teq; nivem, nimium eſt, quam nauſeo lilij odorem.
MENTE MIGRO, *dum pes moritur: Quin & Granadillam*
Nullus NUNC *curo: Sed* AD *ipſum* VULNUS JESU
Perfugio, in jam dum Defuncti pectus adactum.
Salve porta patens, rubicunda, profunda ſalutis!
Salve, mite latus! Latet in te vivus amoris

Fons: Mihi ne misero precludere, Sancta medela!
Ah! In te sine me, sanctissima fossa, recondi!

M. LUCAS FRID. REINHART, Eccles. Min. & SS.Theol. Prof. P.

TUMULUS
DN. LUDOVICI JUNGERMANNI,
Medici, Poëtæ & Botanici Clarissimi.

Hôc LUDOVICUS *agrô placidè post fata quiescit,*
Vir bonus, & priscæ simplicitatis amans,
JUNGERMANNIADUM *celebri de stirpe creatus,*
Quâ Clarias fundit clarus ELISTER *aquas.*
Excepit dias prognatum lucis in auras,
Et blando fovit culta Minerva sinu.
Utq; suas Musæ possent ostendere vires,
Certatim dotes huic tribuêre suas.
Phœbus at ipse Sacrâ frontem Permessidos undâ
Lavit, & auriculas tersit amica Charis,
Hinc bonus evasit Medicus, dulcisq; Poeta,
Cui non producent qualibet arva parem:
Atq; peregrinis halantes floribus hortos
Instruxit, longum quos memorare foret.
Cor nive candidius fuit, ut nec dissona menti
Labra, nec à ficto tincta colore fides.
Cætera pratereo, quæ mox intexere peplo
Ipsa Minerva suâ non dubitabit acu.
Sic tibi terra levis: tua molliter ossa quiescant,
JUNGERMANNE, *animô nunquam abiture meô.*

M. JACOBUS TYDÆUS, Pr. P.

SCRIPTA.

Catalogus Plantar. quæ circa Altorfium Noricum & vicinis quibusdam locis nascuntur: *Altorfij* 1615. in 4.

Cornu copiæ Floræ Giessensis proventu Spontanearum stirpium cum Flora Altorfiensi amicè & amœnè conspirantis, uti Lipsiensium, Wittebergensium, Jenens. quoq; deliciis herbarum abundantis: *Giessæ* 1624. in 4.

Aulæum Academicum, in quo Clarissimorum Professorû, quibus Academia Giessensis maximè inclaruit, Anagrammata tam Latinæ quam Vernaculæ linguæ notis exhibentur: *ibid.* 1624. in 4.

ORA-

ORATIO
In Excessum
VIRI SUMMI,

OLAI WORMII,

Medic. Doctoris, & in Regia Academia Hafniensi Professoris Celeberrimi;

Dicta Hafniæ XV. Decemb. An. M. DC. LIV.

In Auditorio majori,

à

THOMA BARTHOLINO.

QUanto in præteritarum rerum recordatione, præsentium fastidio & metu futurorum, fessa madore lumina per omnes Augusti hujus loci angulos circumduco frequentius, tanto aciem hebescere magis & justo dolore penitus sentio offuscari. Quæro desideratum sempet mihi vobisque & in purpura nuper relictum WORMIUM, mitissimum vultum quo candidissima illius anima velut in speculo resplenduit, quæro & requiro, ardet amore animus & anxia cura variè torquetur, desiderio incredibili totum me explico, circumduco, volvo, revolvo, quæro WORMIUM, sed invenio nusquam. Heu fallaces mortalium spes & irrita vota! heu miseram sortem omnium exspectationi & conatibus strenuè illudentem! Hic reliqui meum WORMIUM, hic credidi esse revisendum postquam expiata cœlestis Numinis ira ad patriam urbem hactenus Majorum indultu & clementia relictam officij ratio reduxisset. Curiosa diligentia & tristi sollicitudine repeto gressus, sæpius antea emensos, compita circumspicio, ædes publicas privatasque Parcarum injuria desolatas & lugentes circumeo, compello notos & more patrio amicos saluto, qui summa Dei immortalis provid. Libitinam evaserunt; quocunque me verto, nullam Maximi WORMII offendo umbram, qui Viri amicitias, qui frequentatos sermones, consilia prompta, nulloque fuco adornatum pectus in æternum mihi,

vobis & orbi universo optassem. Silent Musæ & semestri ocio desiderium suum satiarunt, nuda pulpita totiens erudito WORMI ore animata, molesto funere mœrent, hæc purpura, ista sceptra, illa Magistratus insignia Patrono suo viduata ominoso squalore lugent & splendoris sui Majestatem temporis indelebili injuria videntur deposuisse, jamque seriò deplorare. Mœsta vidua incomparabili marito privata tantum funus in se translatum optat, invidenda soboles optimo Patre orba & indulgentissimo, omnium in se misericordiam vertit. Illustres Runæ ex situ nuper protractæ, redivivam sibi noctem ominantur, Natura interprete suo fraudata interitum sibi vel ignominiam auguratur, lugubri habitu literæ sordent, Asclepiadis Schola turbata, cuncta imminentium malorum præsagio & metu sibi suæque incolumitati diffidunt. Ego quid conquerar? quid eloquar? an tacito pectore calamitatem concoquam? an lugubri voce aures vestras publico funere impleam? dubius hæreo, nec doloris acerbitatem abscondere, nec magnitudinem ejus exprimere potens. Desidero Parentem, Præceptorem amisi, Collegam perdidi, & præter acerbitatem tanti Senis erepti augetur mœstitia quod assiduè satiari vultu, complexu amici amplius non contingat. Reddite nobis fata Virum, remittite ereptum, si potestis, vel similem substituite, quia necdum tanta præsentia carere possumus. Oculos lacrymis fatigabo, manus supplicationibus delassabo, tundam pectus querulum, lacerabo ora & totus conficiar, donec vel WORMIUM nobis postliminiò restituatis, vel me WORMIO fatalis hora junxerit. Abominabor inimicam Lachesin, quæ sine delectu civium exsequias indicit, inexpletam inferorum damnabo voracitatem & extra Insulas omnes proscribam, qui valetudinis communis, ut securius debacchentur & infesta falce demetant, statorem sustulerunt. Mille terræ inutilia supersunt pondera, fruges consumere nata, tot purgamenta, & putida onera, mimi, balatrones, ambubajæ, calones, cinisflones, agyrtæ & hoc genus infinitum, quibus mortalium societas conspurcatur, eluduntur artes, & virtutis precium vilescit. Mitissima sidera, quæ sanctissimam WORMII animam inter vestra collocastis, nullane nostri vos cura tetigit, ut suspiria nostra subscriberetis? Fulgori vestro ut consuleretur, nostrum extinxistis, & ingenti desiderio ereptũ WORMIUM, patriæ lumen, orbis decus, familiæ splendorem,

inter

inter vestros numerastis. Summe DEUS, Rex superum inferumque quid meriti sumus quod tanta nobis mala furor tuus intentarit? Tu variis criminibus obnoxios, à contagio, certo iræ Tuæ documento, immunes inter tot cadaverum strages conservasti, & admirabili clementia sustentasti quamplurimos, futuris exsequiis reservandos, cur in scelerum nostrorum vindictam iræ tuæ justissimæ tanti Viri funere, velut hostia litasti? Majora meriti sumus & exitium propria nece exsolvendum quicquid vel in publicum peccavimus, vel conscientiæ confessione à recto pietatis tramite aberravimus. Si aliquod voto mortali apud summum Numen inesset pondus, minori Reip. damno aliorum clade deplorandam summi Viri & Reip. literariæ utilissimi, mortem redimeremus. Sed immota suas leges fata servant, nec arbitrio nostro Eruditorum sortem dispensant. Si quidem à mortalium consortio pietas exulat & candor, mirari desinamus, candidam WORMII animam terris indignam, mortalisque erroris pertæsam, cœlesti origini adscriptam vanas infra se dispicere viventium ambitiones, extremas malitias, & mille rerum ludibria quibus seculum inficetum majori conatu quàm gloria, certatim superbit. Nobis quibus præter æterna senis merita, & immortalem ex WORMIO memoriam nihil amplius Superum invidia & pessimi seculi injuria, videtur relictum, quia cœtibus nostris interesse desiit, ubi omnium hactenus bonorum gaudio & publico Reip. literariæ emolumento superfuit, quia noster hic dolor, nostrum vulnus; obfirmandus animus, quodque mutare nescimus, in necessitatem interpretari & invictam DEI voluntatem, cui tam nobis parendum qui vivimus, quam WORMIO qui vivere desiit in omnem ævi hujus & futuri memoriam victurus. Enimverò si à conditis literis natisque Musis virtus & eruditio unquam felici copula fuit conjuncta, in hoc certè Viro sedem utraque invenit & elegit ex voto amplissimam. Nunquam clariori luce Academia nostra resplenduit, nunquam Ars Medica caput altius in Septentrione extulit, nunquam cum exterorum gloria cordatius certavimus, quam nuperis annis quibus WORMIUM Academia habuit, ars Medica coluit, orbis Arctous admiratus est, & omnes incomparabilis Viri famam immensæ virtuti parem vel ex cedro dignissimis Scriptis orbem universum pervolitantibus, vel quotidiana consuetudine & undique confluentium ingeniorum plenissimo ore

intellexerunt. Nefastus sit ille dies & aterrimo carbone in perpetuum notandus, qui patriæ invidit hanc gloriam, juventuti commodum, Academiæ splendorem, nobis amicitiam, omnibus felicitatem. Cœperat hoc superstite spiritum recipere Anatome, & sive senis auctoritate & consilio, sive industria nostra multorum ad se studium oculosque convertere. Pessimo medius fidius augurio eveniet, ut cujus auspiciis cœpit feliciter, ejusdem jam excessu sit desitura vel immedicabile damnum habeant. Valeant Mathematicorum filii nisi illatam cladem nobis præstent. Nuper Solis deliquium & ipso meridie noctem mundo nostro induxerunt, & mala quævis mortalibus minabantur. Habetis augurij vestri fidem cœli vates & interpretes; quia periit WORMIUS, utinam mendax sim ego, si ex splendidissimi hujus luminis umbra arti nostræ & Academiæ inducta, orbi nostro literato sinistra denunciem, qui ingeniorum fertilitate & numero, scientiarũ omnium augmento, fama undique & existimationis laude tantum inter alios caput extulit quantum lenta solent inter viburna Cupressi. Acerba igitur WORMII nostri memoria, immortalia in Rem Medicam & Academiam, patriamque universam merita, intimioris amicitiæ jura, & omnium rectè de WORMIO sentientium exspectatio, hoc quidquid est officij debiti & pietatis devotæ, quod tristi calamo & rauca voce meditor, mihi injunxit imperavitque, ut, cui nuperæ absentiæ conditione ante paucos menses amissus est, qui vivum colui & æstimavi, qui omnia in laudem tanti amici debere volui, memoriam defuncti grato animo & penna titubante, quia plura non possum, publicè venerer, justaque cum suspiriis persolvam, si debitum intueor, planè merita, si necessitatem, invita. * Singula tamen quæ de sene nostro gravissime dici scribique & possent & deberent, frustra exspectabitis. A WORMIO res parvas levique momento æstimandas nemo vestrum sibi pollicetur, quarum magnitudini calamus meus non sufficit in scribendo, quia in agendis WORMIUS omnium conatum & fidem superavit. Quicquid in honorem defuncti & æternam gloriam sumus dicturi, solutum magis erit quam præstitum, ut, quod à beatis WORMII manibus alto somno immersus facere in exsequiis ejus jussus sum, sciat orbis, VVORMIANA celebritate plenus, quantum Virum Dania habuerit, & patria, quantum amiserit.

Injurius in virtutes D. OLAI WORMI, inclyti Regiæ Academiæ Profeſſoris, ſummeque iniquus forem, ſi aliunde illas accerſerem quam ab ipſo WORMIO, ſummaque ambitione vel patriam vel genus in virtutis excelſæ argumentum advocarem illorum more, qui à majoribus ſuis emendicant quod propria indoles denegavit, gloriam & præclaræ mentis originem. Aliena illa ſapiens ſpernit, & niſi propria virtute fulciantur, in auras evanitura. Non in his ambitioſius jactavit WORMIUS, nec inani faſtu virtutem ex moribus mutuatus eſt, quanquam nec patria defuerit, magnis exemplis abundans, nec parentes, ex quibus virtutis futuræ ſemina cum lacte materno imbiberet, proprio ſtudio & fortunato genio tandem perficienda. Natale ſolum Cimbria eſt, fortium olim Virorum, nunc eruditionis feraciſſima, ubi maſculam mentem WORMIO tenello connatam & ſequuturæ virtuti parem, urbs mercaturis & claris Viris inclyta Arhuſium, Ptolomæo Carudes, ſicut ſuſpicantur Geographi, Parente Conſulari dignitate conſpicuo WILHELMO WORMIO, Mater INGERA OLAI Conſulis Hotterſnenſium filia lectiſſ. an. LXXXVIII. ſeculi prioris, die XIII. Maij in lucem edidit omine prorſus felici, ut quemadmodum civium ſuorum ſaluti illi conſulebant, ita multorum incolumitati nuper natus à præſcio Numine deſtinaretur. Felices Charudes quod tantum depoſitum & pignus terris concrediderint, nunquam patriæ ſuæ pœnitendum. Habent quo glorientur ampliſſimè, habemus nos quo nomine ingentis beneficij gratiam illis debeamus, quod præter utrumque *Iacobum Matthiam* Arhuſium profundâ ſcientiâ & eloquio ſtupendo excellentem, multiplicato fœcundi ſaluberrimique ſoli ac cœli fœnore, noſtræ Academiæ artis Medicæ Præſidem & ſanitatis humanæ cuſtodem accuratum & orbi ſummiſerint. Sic diverſo inſtituto Cimbri noſtri ab antiquis diſſident, & majori ſe gloria commendant. Certarunt veteres in nece mortaliũ & excidiis augendis emiſſisq; coloniis varia morte vivorum numerum decurtarunt. Noſtri vitas promovent, & artem ſervandi homines, quà corpus, qua animam, profitentur. Certent de patria HOMERI Græciæ urbes. Nos in Charudibus Cimbrorum WORMII invenimus incunabula plus antiquiſſimæ genti & ampliſſimis Parentibus allatura ſplendoris quam acceperant. Flos iſte puerorum

(L) 5 OLAUS

OLAUS, ridentibus Dîs & Phœbo conscio prognatus, magnam vividioris indolis & felicis genij spem elegantissimis floribus fructibusque utilissimis humanæ necessitati suffecturam, primis sex tyrocinij annis in patria meliorum disciplinarum officina & domestico surgentium ingeniorum pulvere apud omnes excitavit. Quam in remotioribus à patria palæstris ut augeret perficeretque, Ducibus *Bachmanno* & *Bloccio* optimis tum ingeniorum excultoribus, in Gymnasio Lunæburgensi humanioribus literis & autorum melioris notæ lectioni ita assuevit anni unius decursu, ut postea apud eruditos Embricæ Clivorum Viros partim sanguinis commercio partim elegantioris indolis voluptate ipsi ex asse addictos, cœptum literarum humaniorum & virtutis domesticæ studium acriter pariter urserit, & patienti trium annorum tædio navati temporis moram fortiter meliori fruge decoxerit. Non ignoravit etiam primis judicij incrementis WORMIUS noster sive rectioris genij ductu & auspiciis fortunatis, sive fideli Magistrorum obsequio, quantum ad eruditionis ornatum Philologiæ studium conferat & sermonis nitor. Sunt præposteræ ingeniorum quorundam festinationes, quæ illotis manibus nulloque literaturæ cultu in disciplinarum sacra involant temerario & plusquam ausu barbaro, unde cruda studia in publicam orbis scenā protracturi inconditā orationis barbarie omnia fœdant, & cultissimas Musas deformi veste habituque neglecto pessimè prostituunt. Pulchrum esse ille quondam prodidit, benè Reip. facere, & benedicere. Quisquis supra vulgus erigendus ad utilitatem publicam comptum animum informat, sedulò in eam curam incumbit ut futuram eruditionem si non diserto puro tamen ad veterum elegantiam composito dicendi charactere exornet, sicque loquatur ut videri possit & intelligi. Ita in prima ætate instructus WORMIUS aptam profundioribus scientiis majorisque eruditionis capacem mentem ætatis anno septimo & decimo, communi Parentis amicorumque consensu ad celebre variæ doctrinæ emporium & eruditis Viris in Germania nobile Marpurgum transtulit, moxque migrantibus inde Giessam Cattorum Musis, se socium & alumnum sociavit, ut Philosophiæ mysteria à Magno Germaniæ Philosopho *Rudolpho Goclenio* Seniore hauriret, & Divinæ quoque sapientiæ decreta apud summos Theologos *Menzerum*, *Finckium* & *Helvicum* in salutis securitatem

tatem accuratius perdisceret. Scilicet ille demum propositi sui certus est, & securus, qui humanis Divina jungit, Deumque inter perituras mortalium artes debita fidelitate quærit, ut totum possideat. Credite A. pessimo fulcro inniti sapientiam vestram, nisi DEI scientia fulciatur, quæ & eruditos vos facit & beatos. Nolite tantum oraculis humanis statuere precij, ut infra mortalia existimetis esse æterna, aut felicitatem vestram ex cerebri vestri fictis ideis, & naturæ inferioris miraculis metiamini. Ridicula erit Philosophi Demonstratio & Elenchus, infaustum Medici Prognosticum, Trochisci, Julapia, Pilulæ, potiones medicatæ, electuaria, opiata, emplastra, collyria, unguenta, magisteria, extracta, olea, spiritus & mille hujus census Panaceæ quibus in subsidium laboranti ægro accurritur, vana omnia & irrita, si desit DEUS, si illos falsi arguat ob stultitiam, his spe irritâ illudat ob DEI contemptum & artis fiduciam. WORMIUS nosterita cum rebus suis & rationibus calculum posuit, ut eruditus in publicam utilitatem adolesceret, & à DEI cultu prosperos conatuum eventus sibi sponderet, hinc cœli æmulus inter mortales sanctè vixit, & cœlo redonandus claram beatè in DEO clausit senectutem. Tantis præmunitus subsidiis audacius suscepta negotia ursit, translactoque Giessæ inter Doctorum exercitationes biennio, Medicarum rerum studio cœpit inflammari, ad quod genio dictante ferebatur. Ex senis COI præscripto Natura ad scientiam Asclepiadeam instructus quam felicissime, doctrinam studio & industria constanti, in loco studiis apto meditabatur, consilio prorsus prudenti & deliberato. Frustra sudant qui sine doctrina & Præceptorum institutione Medici nomen & dignitatem vano supercilio exambiunt, sibi somniant, sibi sine Delio blandiuntur, prius docent exercentq; medicinam & innocentium mercantur animas, quam didicerunt. Multi ex hoc genere triobulares, diverso WORMII nostri exemplo erubescent, qui artis immensæ amplitudinem assequuturus celeberrimas Europæ Academias adiit, ubicunque de Medica arte publici mercatus exercebantur. Recto igitur itinere visis in transitu urbibus Germaniæ notissimis, Francofurto, Wormatia, Spira, Heidelberga, Argentorati opportuno Musis severioribus domicilio, substitit, & trimestri diligentia apud insignes Viros, *Hoffenreuterum*, *Sebizium* Seniorem, *Spacchium* & *Salzmannum* tam inoffenso pede in arte Medicorum processit,

cessit, ut publico esse documento posset, quantum prompta ingenij facilitas cum industria apud naturæ clientes valeat. Hinc ulteriori discendi desiderio accensus, vicinam Basileam, Rauracorum Augustam, sedem humanitatis & Apollinis, adverso Rheni flumine, sed secundo Numine petiit. Tanta ea tempestate Basilensium erat fama, ut, mutata sede, amœnissimam Rheni ripam Æsculapius crederetur inhabitare. Florebant ibidem Medicinæ Proceres æternitatis dudum albo inscripti, *Felix Platerus, Casp. Bauhinus, Thomas Zwingerus, Emanuel Stupanus*, magna profectò nomina & famæ suæ majora. Horum amicitias vel meruit virtute sua WORMIUS Æsculapii pullus, vel obtinuit; frequenti Medicarum Lectionum auditione ita perfecit cupidum saluberrimæ eruditionis animum, ut qui hactenus inter auditores numerabatur, postquam binas hyemes totidemque aristas exegisset inter cadaverum humanorum sectiones, inter Helveticæ Floræ delicias, inter Medicorum Exercitationes publicas privatasque, inter artis universæ pressiorem notitiam, tandem disciplina in naturam versa aliis ad audiendum præluxerit. Quam Medicinæ perfectionem in mente conceptam ut opere ipso & confirmaret & ad usus mortalium extenderet, haud nescius, opere ipso non sermone tantum aut artis peritia Medicos æstimari, Italiam cogitatione volvebat.

Annus seculi hujus octavus ad exitum decurrebat, quum superatis in viis Alpibus, visisque in difficili itinere Mediolano, Cremona, Mantua, Vicentia, Antenoream antiquissimam urbem & Serenissimæ Venetorum Reipubl. prudentiâ studiorum Matrem Patavium intraret, dignam illam Musarum aulam, benignum exterarum gentium domicilium, Phœbi theatrum & Apollinis fanum. Digna hic visa cœptis VVORMI palæstra, in qua invidenda libertate in orbis supplementum exercentur dicatæ Æsculapio animæ. Non inviti Patavini Doctores VVORMIUM, amicitiâ tantorum Virorum dignum, sed cum applausu exceperunt, comitemque sibi ægros vicatim invisuris, pro more loci planè laudando, adsciverunt. Eminebat in Augusto Gymnasio fama meritisque præclarus Senex *Hieron. Fabricius ab Aquapendente*, Herophilus redivivus & alter Chiron, quo duce & cadaverum profection, vacavit VVORMIUS, & Chirurg. Operationes promptissima manu vidit exercitas. Non possum sine insigni lætitiæ sensu inter mœstos sermones,

nes, temporum iſtorum memoriam repetere. Deſudabat in eodem Anatomes pulvere beatiſſimus meus Parens, & perpetuus *Aquapendentis* comes ſecandi artificium & quidquid magnus ille Democritus in cavea ſua Deorum plena ſpectatoribus exhibebat, dexterrimè imitabatur, nec ſenis contentus obſervationibus *Iulium Caſſerium Placentinum* Profectorem ab illo ſecundum, ſed æmula arte diſſidentem ita ſibi junxit amicum in extorum examine, ut non pauca alter alteri debuerit. Junxit in hoc ſtudiorum fœdere dextras VVORMIUS, & amicitiæ cœptæ commercium immota lege ſanmum ſemper conſervavit & inviolabile. Præter *Aquapendentem Craſſerium*, quos in Anatome & Chirurgia principes ſequebatur, VVORMIUS noſter exercitatiſſimis in arte curandi *Euſtachio Rudio*, & *Alexandro Vigontia* ſe adjunxit, ut Methodum medendi Remediorumque formulas illis familiares in ſingularibus experiretur, eam ratus tutiſſimam ſciendi rationem, quæ uſu conſtat & experientia perficitur. Poterat poſt tanta ſcientiarum incrementa ſuo ſucco victitare VVORMIUS, & ſperatam patriæ operam digno ſucceſſu polliceri, niſi erectus ad quævis honeſta animus tempore roborari & aliarum gentium confeſſione ſui amaſſet augmentum. Scilicet ex ruderibus Latij reſtabant quamplurima ad quæ viſenda curioſo impetu incitabatur. Et certè intererat Medicinæ plures ſoles diverſoque ſidere calentes terras propriis veſtigiis emetiri, ſive ægrorum cauſa & affectionum ſuis regionibus peculiarium, ſive exterorum medicaminum gratia, quæ ſuo ſæpe ſolo terminantur, ſive Naturæ ludentis jucunditate in balneis, mineralibus, terrarum generibus, plantis, arboribus, elementis, lapidibus, animalibus, fructibusque admiranda, ſive Eruditorum hominum & linguarum cupiditate, ſive denique ſtupenda diſperſarum Antiquitatum curioſitate, quæ tanto pectus majori percellunt admiratione, quanto à noſtra ætate, moribus noſtris vel ſeculi ignavia ſunt remotiora. Hac mente & in uſitata tunc generoſitate, florentiſſimas Italiæ urbes peragravit, adſcitoque itineris comite *Henrico Petræo* Clariſſimo poſteà Marpurgi Doctore, Venetorum vidit Majeſtatem, Ferrariæ celebritatem, eruditionem Bononiæ, elegantiam nitoremque Hetruriæ, Sienarum eloquium, Viterbienſis agri fertilitatem, Romæ antiquitatem & ſplendidam purpuram, Puteolorum amœnitatem & diſperſa thermarum veſtigia; nobilem Neapolin,

polin, Pisarum ubertatem, libertatem Lucæ, Liburnici portus securitatem & Genuensium pompam; nec vidit tantum moreque plurimorum velut canis ad Nilum libavit, sed apis instar dulcedinem singularum accurato gustu in se traxit, publico aliquando salutarem. Neque istis splendidarum Italiæ civitatum deliciis inescatus hic pedem fixit, ad plura properantem, quo virtus & vastus nullisq; mortalium finibus constrictus animus ferebatur. Terrarum omnium laudem apud se velut in compendium contraxit Gallia, cœli solique benignitate, incolarum urbanitate & omnimodæ eruditionis amplitudine palmam universo orbi præripuit, sive eximiis inclytæ gentis meritis, sive reliquarum gentium spontanea cessione concessam. Fructus peregrinationis tanto molimine susceptæ periisse WORMIO nostro videbatur, nisi officiosissimam Galliam præsens pari officio salutasset. Genua igitur apud Ligures solvens, littora Sabaudiæ infesto à Turcis mari legit, & lustrata in transcursu Savona & Nisa, Marsiliam antiquissimam eruditionis Scholam, nunc mercibus florentem appulit. Inde Nemausi amphitheatra, inscriptiones, aquæductus, & alia Romanæ urbis æmula ornamenta, Pontemque in vicinia Gardium admirabile opere constructum curiosis oculis subjecit. Et ne aliarum rerum innumera multitudine transvorsum à principe artis instituto raperetur, quod non rarò illis scimus evenire, qui obsoniis magis cupediisque capiuntur quam solidis cibis: in vicinum Montem Pessulum Medicorum scientia ab ultimis Arabum temporibus celebratum, seriores curas transtulit, quatuor mensium mora recolendas. Magnis Academiæ luminibus *Varandæo, Bradilleo & Richerio de Belleval* Botanico usus est familiariter, ut ab illis ille doctior recesserit, illi à WORMIO celebriores, hi amare, ille colere, utrumque ex mutua consuetudine ardentissime. Ægrè à fragrantissimo hujus Provinciæ solo urgente itineris necessitate divulsus, per Bituriges, Narbonam, Carcasonum, Tholosam, Burdigalam, Rupellas, Pictavium, Aureliam cæterasque Galliæ civitates, ad caput Franciæ & universi compendium Lutetiam Parisiorum pervenit, famâ magni *Casauboni* Polyhistoris, & *Riolani* Junioris Anatomici, tunc ad famam concito gradu properantis, nunc emeriti & supra famam magni, Monspeliensium desiderium levaturus. Diuturnam amplissimæ urbis mœnia moram omni jure meruissent, ubi eruditio

nem

nem omnes vici, civilitatem omnia compita personant, ubi illustris Medicorum Schola tot seculis saluberrimæ artis decori par, Clarissimorum Virorum & numero plurimorum & doctrinæ gloria præstantium docta nomina orbis & exterorum velut ad tripoda confluentium admirationem ad se rapiunt. Cæterum nec deliberato WORMI consilio favere fata, quæ supra nos negocia curant, nec turbata populosissimæ urbis quies Musis istis indulgebat securitatem. Exsecrando enim parricidio Regum Maxumo Henrico IV. Borbonio per scelestam sicarii manum sublato, urbem tanti facinoris indignatione perturbatam innocentique cruore Herois Augustissimi commaculatam horrendæ expiationis metu deseruerunt peregrini & advenæ, facinus indignum & suam misericordiam apud suos propagaturi. Igitur Rothomago, vetusto Cimbrorum hospicio, à Rege Danorum Roës, cui & originem Roëskildia nostra debet. olim fundato, jam verò immensum & opibus auctis & ædificiis Sequano flumini imminente, Æolo benigno & Neptuno amico solvit, ut ad Insulam Batavorum belli gloria & omnis scientiæ laude inclytam properaret antequam patriæ revidendæ desiderium augeretur. Nitidissimæ in Belgio Fœderato urbes, Roterodamum, Delphi, Haga-Comitis, Lugdunum Batavorum, Harlemum, Amstelodamum & aliæ complures, animum WORMI rerum variarũ copia onustum tam grato condimento satiarunt, ut Leydæ, Musarum Helicone, & Palladis arce, Eruditorum hominum illectus amicitia & noscendi cupiditate, festinato itineri detraxerit particulam. Dulcissimæ patriæ redditus, quia & domi in Academia nostra invenit quæ admiraretur, Hafniæ substitit, dulcedinem peregrinationis ruminaturus. Regij hujus Lycæi Doctoribus arctiori amicitia & studiorum familiaritate inter primos conjunctus, quid sibi artisq; professæ perfectioni & latè diffusæ scientiæ deesset apud animum deliberans, cœpit de resumendo itinere, rebus domi compositis, iterum cogitare, ut quæ hactenus aliis lucubrationibus impeditus neglexerat, Chymiæ operas, in Medicæ artis complementum exerceret, vel protractiori tempore rerum Medicarum semina, passim tanta naturæ, doctrinæ & locorum benignitate erudito pectori infixa & exculta, *Coi* Præceptoris sequutus ductum, ad lætam amplissimamque frugem & maturitatem perficeret. Multorum ille jejuna vota & festinata studia, magnis parvisque commu-

communia,exemplo suo vicit & supergressus est. Sunt qui ex unico Æsculapij somnio repente Medici prodeant, vixque à limine salutato Apollinis fano nomen inter Asclepiadeos exambiant, & una nocte, velut fungi, decoctores potius quam Doctores nascuntur. Concitato pede ad titulos currunt, compilatisque Receptariorum scriniis ignaviæ suæ consulunt, non artis honori, non ægrorum saluti, non publicæ exspectationi, quam eludunt & pessimè fallunt. Saniori mente animatus VVORMIUS, multorum incolumitati destinatus, post tot annorum inter severiora studia & peregrinationum tædia, molestas curas, grave non duxit in celebri Marpurgo plusculos menses exercitatissimo Chymico *Hartmanno*, & Cassellis *Gillenio* veteri amico, oculos manusque commodare & cum industria ei artis generi vacare, sine quo Medicus vix titivilitio censetur hoc seculo dignus. Naturæ ibi vidit abstrusos recessus generi humano profuturos ignei caloris eventus, Deorum commercia & divortia, elementorum pugnas, metallorum metamorphoses, & mille lutorum formas, quibus vel in principia sua solvuntur corpora, vel soluta figuntur. Quid aquas ex floribus, radicibus, corticibus, seminibus eliciat & lignis, quid provocet regias & fortiores, unde spiritus subtilis, mordax acetum, olea tenuia, elegantes tincturæ procedant, quid balsama componat, extracta destillet, sales, flores, magisteria, calces, & hujus generis alia, perspecta dexteritate conficiat, quicquid *Geber* cum universa Hermeticorum multitudine docuit, quicquid vel aquila promisit, vel vellus cureum ostendit, VVORMIUS noster apud fornaces obtinuit, à carbonibus assequutus est, meruit igneo ingenij & pertinacis laboris calore, ab utroque denique artifice facilis impetravit, sive elegantis ingenij merito sive sinceræ familiaritatis obsequio. Compleverat ita eruditionis, consummato Medico necessariæ, circulum VVORMIUS, & nihil intentatum reliquerat, quo ægris reddi incolumitas, patriæ decus expleri possit, & ad immortalem nominis existimationem feliciter ipse grassaretur.

Privata hactenus erant commoda, secreti honores, tacita multorum de VVORMIO judicia, confessione publicâ & orbis eruditi applausu confirmanda. Certatim id sibi laudis aliæ Academiæ exoptaverant, quas in vota faciles meritum VVORMII flexerat. Sola tamen Basilea huic acclamationi digna VVORMIO visa & VVORMIUS

Basileæ

Basileæ. Spretos alibi vel neglectos honores laborumque exantlatorum præmia, apud Medicinæ antesignanos nunquam sine veneratione nominandos *Platerum* & *Bauhinum* exambivit, qui post rigidum examen, masculum in publicâ concertatione conflictum, & laudatissima publicè privatimque edita eruditionis sanæ documenta, tam erant in cumulandis virtutum titulis summisque in Arte honoribus prompti, quam ille in expetendis timidus & modestus. Undecimus seculi currentis annus Mense Decembri, solennitati Apollineæ dicatus, lauream coronam in Brabeuterio Academico dudum debitam, more majorum per Felicissimum Senem *Felicem Platerum*, auspiciis Rectoris *Bauhini*, VVORMIANO capiti tot virtutum & doctrinæ radiis corusco, faustis bonorum omnibus imponi decerniq; summè lætabatur. Leni strepitu Rhenus vicinus decurrebat, votis perstrepebat Brabeuterium, & lætantium vocibus, plaudebant Eruditi, gratulabantur urbis humanissimæ Proceres, omnes fortunatum WORMII Doctoris auspicium in patriæ commodum & perpetuam nominis gloriam non falso augurio interpretabantur. Felix tua sobole Basilea & alumnorum delectu, quos non tam numero & nũmis, quam meritis pensas æstimasque. Alij ferunt, tu metis, onera alij augent, tu honores, alij simulatæ virtuti & amicitiæ favent, tu nisi exploratam suoque pondere gravem virtutem nec amas nec effers, alibi eruditionem tituli præcedunt, apud te sequuntur. Habes in Dania nostra *Finckium* Senem, *Severinum*, *Fuirenios*, *Bartholinos*, *VVormium*, *Kothium*, *Hofmannum*, *Benzonum*, aliosq; tuorum titulorum gloriâ illustres, qui ab invidorum calumniis & malè sentientium livore tuti, vel ideo cordatius majore sui fiducia, sua virtute se tuentur, quod tibi sint probati. VVORMIUS noster Medicinæ Doctor Basil. eruditionis hactenus maturæ & honorũ partorum fructus aliorum vindemiæ expositurus, hyeme sequenti secundo Rheni flumine & prosperiore successu per Belgium apud divisos toto orbe Britannos divertit, à quibus ob conspicuas Viri hujus & omnium oculis expositas dotes, veteri cum Cimbris fœdere & consuetudine, Londini Anglorum sesquianni decursu tam exceptus fuit hospitaliter & amicis ulnis, ut non tantum in familiam Illustris Dn. Richerij Baronis de Ingvald, Chymiæ & Medicinæ amore, sit adoptatus, sed ad intimam quoque Medicorum Regiorum amicitiam *Kraigij* & *Majerni* admissus, & his

& familiæ Ingvaldianæ & urbi Londinensi sæpius artis suæ ostenderit felicitatem. Interea munitas Britannorum arces lustravit, urbes vicinas peragravit, & Oxoniensis Academiæ Bibliothecam nulli in orbe secundam vidit simul &. obstupuit. Verum enimverò dum honorum plenus & publici ubique applausus, sui per melioris Europæ partes propagaret notitiam, cui natus erat patria in videre cœpit, & parentes sollicita cura angi desideratâ tanti filij præsentiâ viduati. Igitur vocantibus amicis reditumque suadentibus, noluit pius WORMIUS aut parentum obsequio aut omnium exspectationi deesse. Niveo calculo notanda illa dies, quæ prima mense Julio tertij & decimi anni in patriam reducem hilari nullisque nubibus aspera fronte WORMIUM vidit & complexa est, parentis gaudium, amicorum solatium, spem patriæ, orbis amorem. Advena WORMI gravissime, noli credere recedendi sæpius tibi concessam potestatem. Sat soles vidisti, terras es emensus, sat multorum cum Ulysse mores vidisti & urbes. Figendi pedes, neve semper vel discas vel auditor sis jam cum usurâ reddes quæ accepisti, sparta alios docendi erit committenda, excuties variæ eruditionis sinus & Medicarum rerum ubertate refertos loculos, illustrabis in posterum Academiam patriam & seculum præsens pulcherrimo docendi scribendique genere. Nunquam, me sponsore, committet patria, benigna ingeniorum nutrix, ut maximis tuis virtutibus vel merita laus decedat, vel justum precium non statuatur. Vix à reditu pulverem WORMIUS excusserat peregrinum, penulamque complicaverat, quum adventu optimi sui civis excitati Patres Academici, decori suo juniorumq; emolumento invigilaturi, de eligendo Professore deliberant, inclinatisque studiis WORMIO humaniores literas, mox Græcam literaturam commendant, *Coi* senis patriam, Agamemnonis salutem, Ulyssis errores, Helenæ securitatem, Achillis fortitudinem & quidquid Graij ingenio, quicquid ore rotundo valuerunt. Hic vires ingenij & industriæ exercuit WORMIUS, Græcorum sapientiæ par quacunque lance expenderetur, & Latij antiquam laudem Romulique Nepotes masculè tutatus, utilem Academiæ juniorumque ingeniis novem annorum spacio operam locavit, majori post hac studio & surgente famâ augendam. Et ut propius Medicinæ sacris, quibus se nuncupaverat totum, interesset, Naturæ scientiam, Medici ani-

mam,

mam, publicè sequenti triennio, & quicquid ambitu suo universum hoc, expressum DEI simulacrum complectitur, eo docendi compendio, ea dicendi facilitate velut Naturæ amasius & ad secretiora consilia à Prometheo admissus demonstravit, ut se vacuæ cathedræ Medicorum dignissimum anno seculi hujus XXIV. probaverit. Jussu & auctoritate Augusti Danorum Monarchæ, Divinis monumentis fideique arcanis in Academia publicè interpretandis admovebatur Parens meus CASPARUS BARTHOLINUS, cœlitibus pridem adscriptus, qui Medicum docendi munus pluscùlis annis exercitum amicissimo successori, veteri amicitia, recentique affinitatis vinculo, sibi conjunctissimo WORMIO, tanto lubentius resignavit, quod & parem oneri artique decessorem agnosceret, & in affectu erga filios præevideret successurum. Nec concepta spe falsus fuit Pater, aut opinione. Mutavimus post Parentis excessum, WORMIO superstite, nomen Patris, neutiquam animum aut constantem in nos voluntatem. Successit WORMIUS Parenti, non *Thessalus Hippocrati*, nec *Aristoteli Theophrastus*, sed Menedemo Asclepiades, frater fratri, amicus amico. Uno animo utriusque calebat corpus, nec vacua post *Bartholinum* cathedra censebatur, WORMIO præsente, qui à prædecessore excitatas in auditorum mente Medicarum Rerum scintillas & igniculos, continua industria, sibi, Academiæ & Parenti nostro gloriosa in immensum accendit. Diversa jam successionis series & ordo fatorum dispar, vicem rerum nostrarum mecum dolete Auditores & ingemiscite! Utinam, quod pro publica utilitate votum in meæ tenuitatis veniam & excusationem prætendo, tanta ex loci dignitate & vestro singulorum commodo, vobis ego post WORMIUM possem polliceri, cui onus suum Ætna gravius humeris hisce reliquit, quanta VVORMIUS olim post Parentem & promisit vobis splendidissimè & præstitit amplissimè.

Patebat tum apertus VVORMIO optime de publico merendi campus, per quem à primo Medicæ cathedræ felici augurio ipsi demandatæ momento, summo patriæ universæ applausu, & omnium candide æstimantium confessione tam strenuè & ex voto communi decurrit, ut præcedentium laudem vel æmulatus sit vel in se contraxerit, posteritatis precium meruerit, præsentium venerationem, & exterorum stuporem. Ad clepsydras publicarum prælectionum

ctionum & solennium Disputationum mensuram metiebatur, quam ea fidelitate & splendidorum auditorum concursu, sine exemplo numerosam, nullo monente à se exigebat, ut diem sibi periisse crediderit & annum, si quando officij hujus debitum causa sontica vel necessaria remota interpellasset. Erat autem, ut sciant posteri, in docendo brevis, gravis in differendo, in explicando facilis, acutus in disputando, omniaq; ad captum auditorum ita attemperabat, ut nec tyrones, nec provectiores navatæ unquam hoc Duce operæ pœnituerit. Artis Medicæ secreta propalavit, abdita principia detexit, eruit latentes causas, dubia signa exposuit, remedia difficiliora explicavit; quicquid *Cous* habet gravitatis, quicquid *Pergamenus* Asiatica loquacitate diffusum, VVORMIUS expedita reddidit & contracta nec obscurus in difficilibus, nec justo in necessariis parcior. *Dioscoridis* imitatus diligentiam, herbarum formas & virtutes investigavit, invenit incognitas & in usus mortalium convertit Floræ nostræ amor & delicium. Cochleariam Danicam minorem, hostem mali inquilini, quod scorbutum vocamus & damno nostro experimur re potius quam veteri origine notum, in locis patriæ paludosis cum Parente heu! quondam meo primus effodit & in lucem protraxit. In hortum Academicum, cui præsidebat, magna cura congessit bulbos, semina, truncos, & quicquid inter rara vel Creta mittit vel Memphis colit, vel ex Indis miramur, vel inter domestica negligimus. Herophili sectator sectioni cadaverum impense favebat, & quæ apud Præceptores, *Platerum*, *Bauhinum*, *Aquapendentem*, *Casserium* fidelibus olim oculis manibusque notaverat, sine invidia aut ostentatione, publica esse voluit. Nunquam præsentiam suam hisce exercitiis denegavit, quæ in accuratam sui perducant cognitionem, & auctoritate sua ad necessarij operis voluptatem auditores nostros incendebat. Multum & ego & prædecessor D. *Simon Paulli*, VVORMIO deferimus quod publicas privatasque nostras sectiones suo consilio & applausu sit semper prosequutus, artisque quam publica auctoritate in salutem generis humani professi sumus, pro virili sustinuerit dignitatem. Assurgunt beatis ipsius Manibus Vasa Lactea Thoracica, & Lymphatica nostra, quæ fidem à tanto spectatore & judice incorrupto invenerunt, contra malitiam seculi & invidiam qua premimur qui publicæ utilitati periculo nostro excubamus. Si fata *Galenum* ad tempora nostra

servas-

ſervaſſent, Hafniam priusquam in Ægyptum ſceleti viſendi diſcendiq; ſtudio navigaſſet. Vidiſſet ſæpe WORMIUM compagem oſſium humanorum artificioſam demonſtraſſe, & oſſicula didiciſſet per futuram cranei Lambdoideam diſperſa velut novas in microcoſmo Inſulas, quæ in perpetuam tanti inventoris memoriam, VVORMIANA oſſa pace Profectorum libuit appellare. *Plinium* quid memorem, quid à *Veſuvio* reducam, quem in VVORMIO vidimus redivivum & ex merito ſuſpeximus? Candidè vobis loquor Auditores, & apertè, nunquam in Septentrione ſæpius Natura fuit viſa, nunquam majoribus precibus ſollicitata, nunquam clariori face luxit, quam VVORMII ætate, apud quem lubentiſſimè & frequentius divertit. Inaudita ille curioſitate & rerum Naturalium amore ductus, ex univerſo orbe Naturæ rariora phænomena ad ſe invitavit, collegit ipſe, & ab aliis collecta indulgentiſſimè habuit. Muſæi ſui amplitudinem ita produxit, ut anguſto Technicothecæ loco vaſtum penè orbem & quidquid ex Natura miramur & Arte, accuratiſſimè arctaverit. Metallorum varias ſpecies Norwegia miſit, Iſlandia aves terris noſtris inuſitatas & piſces monſtroſos ſubminiſtravit, Groënlandia Unicornu, veſtiumque barbararum & inſtrumentorum ſuppellectilem & Balenarum partes contribuit, Germania lapides, ſalia, terrarumque genera, Britannia quamplura, nec minora Gallia, Schytia agnum ſuum, Italia antiquitates, marmora, nummos, mineralia. Ægyptus Crocodilos, Armadillos, Iguanas, Balſama, Perſia bombyces, India Orientalis aromata, conchas, fructus, gemmas, Occidua aviculas Junonis, animalia, cannas Saccharinas, Japonia ſagittas, China libellos, laccæ artificia, Africa Leonum, Elephantum, Rhinocerotum particulas, Gothi & Cimbri Runas, & quicquid patria tellus fœcundo ſolo profert, omnes orbis, quocunque patent, anguli WORMIO tributarij, precioſa ſua miracula inquilinasq; merces, noſtro cœlo inviſas ad contractũ iſtud orbis compendium & cunctarum rerum gloria illuſtre theatrum certatim contulerunt. Paſcebat his naturæ admirandæ ſpectaculis & oſtentis animum oculosq; WORMIUS, & ſpectatorum undiq; confluentium ſatiaturus deſiderium, ille Naturæ arbiter & interpres, arte laborioſa diſpoſuit ſingula, in claſſes ordinataimq; ſeriem diſtinxit, obſcura illuſtravit, muta erudito ore loqui fecit, & naturæ defectum ſupplendo, operoſam *Calceolarii*, *Imperati*, *Plateri*, *Palu-*

dant induſtriam ſuperando, nobis aliisque, qui impari greſſu hic illum ſequimur, ad Naturæ artisque cupiditatem exemplo ſuo præluxit. Dabit illi hanc laudem Natura, patria hanc prærogativam haud invita concedet, hanc induſtriæ gloriam exteri conſignabunt, ut quod defuit naturæ, patria ignoravit, exteri ſparſum per orbem quæſiverunt, apud unum WORMIUM invenerint & didicerint. Tantam in peregrinis adornandis diligentiam, laudemque meritam, patriarum rerum & domeſticarum antiquitatum negligentia imminuiſſet niſi & huc debitum operæ penſum contuliſſet. Habet quippe patria quæ alios in admirationem ſui trahant, & horridam cœli ſui ſimilitudine terram vel ingenij vel induſtriæ vel naturæ faventis tempore videas incaleſcere. Extra ſe poſiti videntur & rationem, qui ſic peregrinis ſe emanciparunt, ut negligant domeſtica, remota ſectantur, ut quæ ante pedes ſita, inſcia negligentia transmittant. Iccircò ne ſpretæ neglectæque dignitatis patriæ injuriam WORMIUS patriæ amantiſſimus experiretur, ſerias cogitationes cum patriis Antiquitatibus partitus eſt. Monumenta in campis tumulosque Annalibus noſtris celebratos eruit, neglecta hactenus ſaxa & temporis diuturnitate exeſa reſtituit, Heroum cippos erexit aras dirutas collegit, Runas tot ſeculis mutas exulesque revocavit, & ex ſaxis quibus longo tædio inhæſerant, ex codicillis, quibus immerſæ latuerant, ex membranis ubi ferè deletæ vix ſui veſtigia ſervaverant, quibus immerſæ latuerant, ex membranis ubi ferè deletæ vix ſui veſtigia ſervaverant, ex voluminibus fumo annoſis, ex bacillis, carminibus Scaldrorum obſcuris, & ab omni hominum memoria remotis inſtrumentis, incredibili & à nullo hactenus tentato ſucceſſu, propria induſtria & vigiliis, adhibitisque in conſilij participationem documentis antiquiſſimis, veterumq; rituum & ſermonum in Septentrione peritis, ab interitu & longa nocte primus vindicavit. Faſtos ſuos & tempora obſoleta Daniæ reſtituit, linguam Gothicam, longo ſilentio deperditam, in publicam lucem protraxit, Hiſtorias patriæ illuſtravit, Heroas oblivione obrutos, quia vate ſacro caruerunt immortalitati ſuæ redonavit, giganteos Cimbrorum Patres, olim defunctos, in orbis noſtri ſcenam redivivos protraxit. Immortali mehercules nunquamque ſi lendo Cimbros ſuos beneficio devinxit WORMIUS, & WORMIUM Cimbri, qui ex ruderibus ſuis reſuſcitati

ſibi vitam, WORMIO famam, patriæ apud omnes gloriam velut poſtliminio procurarunt. Multum me judice & ſupra opinionem magnum cenſetur vitæ aſſuetos ſuæ luci reſtituiſſe, plus tamen eſt & Dîs proprium, redeunte ſeculo Deucaleonis, ex ſaxis, ex tumulis, ex cineribus defunctus extento ævo provocare, loquentia marmora erigere, & decantatas chartas ſequuturæ morti ſubtrahere.

WORMIUS noſter, vindex patriæ antiquitatis acerrimus, inter veterum umbras & Runarum occupationes, ita diviſit laborum ſuorum vices, ut qui tacitis ſaxis conſuluit, viventium rationes, cui bono artis ſuæ præſidia ſibi comparaverat, cæteris prætulerit. Fruſtraneo inſtituto tot pede felici abſolviſſet peregrinationes, tot ſtudiorum faſtidia devoraſſet, tanta rerum peritiâ animum inſtruxiſſet, niſi in humanæ ſalutis ſolatium uberrimi fructus ceſſiſſent, proſperæ valetudini conſervandæ & adverſæ reducendæ. Hic Medico poſitus finis, hæc currendi meta, quam qui proximè attigerit, Gallum Æſculapio lucrabitur, & ſufficientiſſime de mortalium merebitur genere. Proſperrimo eventu ſuas in hac palæſtra partes egit WORMIUS, ut fatalem vitæ terminum plurimis viſus ſit arte produxiſſe, præſentem mitigaverit & Charonti millenas animarum vecturas interverterit. Itum eſt ad hunc Æſculapium in conclamatis ægritudinibus, provocatum in dubiis morborum accidentibus, huic vota nuncupata ubi ope deſtitutis acclamabatur. In conſultationibus perſpicax, certus in prædictionibus, in remediis felix, in ægrorum viſitatione facilis promptusque & in omnibus artis operibus moderatus juxta & prudens. Paria in Prognoſticis cum *Hippocrate*, in cauſis cum *Galeno* fecit, cum *Scribonio* in remediis, ut in ſola WORMII præſentia ſpes ægrotantium ſita videretur, morbi terrerentur fugaretur imminentis mali metus, & cum valetudine tranſigeretur amiciſſimè. Omnes ſibi auxilii ſatis in WORMIO, & nunquam nimium morborum eſſe exiſtimabant. Parum abeſt, quin pulchrum nobis dicam, hoc Medico ægrotaſſe, per quem ſingulari providentiæ dono mortalibus conceſſum vires maximas Ars & Natura exerceret. Omni ille vehementia aſtutos humanæ valetudinis inſidiatores, morborum cohortes profligavit, ſalutares medicamentorum formulas pro publica indigentia invexit, & nullum non movit lapidem, quo ſive popu-

riter grassantes affectiones, sive malignitate contagiosas pestilentias, sive infestas alias morborum procellas exstingueret & inhiberet. Hinc publicæ in usum vulgi de Scorbuto, Febre maligna, Dysenteria, Pestilentia extant Consultationes, Senioris WORMII nostri ductu & Medic. Hafniensium collata opera promulgatæ. Hinc tanta illius cura eluxit in Pharmacopolarum officinis, preciis constituendis, & æstimandis medicinis, in pomposis Theriacæ & Mithridatij antidotis componendis, aliisq; solennibus Pharmacis, quibus per vices Decani nomine & auctoritate gravissimè & summo judicio præfuit, in novis inveniendis vel receptis emendandis, vel ignotis inducendis, & hujus sensus sexcentis quibus & Rem Medicam insigni accessione, & ægrorum solatium novâ spe auxit.

Dum tanta patriæ & Academiæ sollicitudine XXX. annorum experientia cathedræ ægrisq; ipsius fidei concreditis assiduè vacabat, de posteritate per intervalla & negociorum spiramenta cogitavit, ne vel famæ suæ apud exteros Soles vel sequentium temporum exspectationi ulla parte deesset, ne quid profuturum aliis lateret, eruditissimum calamum & expolitum ad ampla illa ingenij & doctrinæ monumenta implevit, quibus jam magna nominis WORMIANI immortalitate Arctous orbis superbit. Medicæ artis principia, quæ Institutiones vocamus, succincta brevitate exili opere complexus est. Decem & octo Exercitationibus præcipua & alicujus ponderis dubia, inter magnos artis nostræ proceres controversa, quæ digna aliquo arbitro & vindice videbantur, solvit ingeniosissimè, & in nobilissimis universæ Medicinæ argumentis tam nervosè occupabatur, ut *Sylvaticum* & *Vallesium* multis gressibus superaverit, & demonstrationum certitudine palmam in hoc pulvere sit meritus. In gravissima *Hippocratis* oracula & Aphoristicas sententias brevissimos Commentarios ad veram authoris mentem conscripsit. Absolutam admirandorum Naturæ Artisque operum in Musæo congestorum Historiam spisso volumine contexuit, eorundem Catalogum præmisit, & separato prælo Murem in Norwegia depluentem absolvit. Aureum Aristotelis, sive quisquis denique auctor sit, de Mundo libellum aureis notis & elegantissimis scholiis illustravit, mundi applausu condignis. In Antiquitatibus verò Danicis quid præstiterit fœcunda penna, in recenti omnium hæret memoria, apud posteros, si qui futuri,

duratura

duratura. Fastos Danicos iterata diligentia digessit, patriæque sua tempora ex Runarum traditione reddidit, sibi æternitatem. Literaturam Runicam repetita editione in literatum seculum ire passus est, ne patriæ nostræ olim usitati idiomatis vel conterranei vel peregrini diutius essent ignari. Quid Edda, & Scaldri, quid antiqui Gothorum sapientes carminibus suis de patriæ Historia & Mythologia sua decantarint, in opusculo de Danorum Poësi exposuit, & in Lexico Runico singularum vocum tradidit significationes. Monumenta Runica Daniæ & Norwegiæ immenso labore conquisita uno volumine composuit, explicuit & ad primos auctores retulit, posteraque cura exauxit quæ de monumentis Stroensi, Trygvaldensi, Aureo Principis Danorum cornu, in Cimbria non ita pridem eruto, sparsim & per partes prodiderat. Seriem Regum Danorum ex antiquissimo codice membranaceo Runicis literis exarato duxit, doctisque scholiis clariorem dedit. Baccalaureum Philosophiæ immunitatibus suis stipatum promulgavit, Lauream Philosophicam Fratribus Rosæ Crucis opposuit, & Jubilæo Evangelico de fidei suæ certitudine, professionis innocentia, & futura beatitudine triumfavit. Superarent ista omnia fidem nostram, & credulitatem posterorum, quibus nominis sui claritatem tanto sudore, vigilatis noctibus & prompta genij indulgentiâ propagavit, patriæ decus sustinuit, & omnium utilitati consuluit, nisi nobis esset persuasum, minora à WORMIO exspectari potuisse nunquam, qui maximis conatibus par & major omni diligentia, suam incolumitatem publicæ saluti postposuit, inserviendo aliis consumi maluit, animi sui imperio & corporis servitio usus, quam inglorios annos inter voluptates & silentium transigere.

Tot editis bonæ mentis & præclari in publicum affectus documentis, tot meritis inclytus WORMIUS, famæ suæ magnitudinem patriæ finibus angustiorem, ultra Phœbi limites produxit, & nominis sui splendorem ad remotissimos terrarum tractus diffudit. Enimverò non domestica tantum juventus tanti Præceptoris succo victitavit, sed ex omnibus melioris orbis patribus præclara ingenia ad audiendum WORMIUM, velut redivivum *Coum* concitato studio confluxerunt, quæ & meliora recesserunt & doctiora, operæque fructum suis penatibus reddita longè retulerunt uberrimum. Pro magno Præceptore certare multi, plures

vitam eruditionemque imitari, non pauci celebritate ejus adjuti & propria æmulatione inter Eruditiſſimos locum mereri & clariſſimos. Alij amicitiam provocare & exambire, alij cœptam perpetuitate firmare. Præſentes ad oraculum noſtrum concurrere, abſentes conſulere per literas. Sive inquilinos patriæ interroges, ſive advenas audias, qui WORMII voces exceperunt omnes Viri ſtupebant vultum ad gravitatem & antiquam conſtantiam compoſitum, mirabantur incredibilem humanitatem & ſermones inæſtimabiles, nec quicquam apud WORMIUM obſervarunt, quod vel imitatione dignum non eſſet, vel ſenis dignitati. Diſperſos in Europæ provinciis omni doctrina celebres, in ſui amorem cultumque pellexit. Illi per epiſtolas officioſi de cogitatis lucubrationibus eruditisque argumentis communicabant conſilia, quorum, niſi nimia prolixitate peccarem, de facili nomina conſignarem: Hi publica opera WORMIANO nomine velut floſculis exornabant. Dies me citius quam candidæ animæ deficerent, ſi ſtricta oratione omnes acclamarem, qui WORMIO noſtro de felici celebritate gratulati ſunt. Nemo Danicam hanc metropolin inſalutato WORMIO tranſiit, niſi vel literarum imperitus vel feſtinato itinere impeditus. Principes Viri, Legati Regum & Principum, Comites, Barones, Nobiles, Clariſſimi alii maximi, minimi, medioxumi, ſumma cupiditate WORMIUM inviſebant, de raris Naturæ & Artis, gentium variarum & linguarum ſtatu & conditione ultro citroque collocuturi. Omnibus virtutibus domus WORMIANA patebat, eruditisque colloquiis cottidie perſtrepebat, quaſi Parnaſſum Muſæ hic ſibi mutatis ſedibus elegiſſent, conſiliis conventibusque Deorum Dearumque celebrandis dicatum. Inter quos exterorum applauſus & certantia officia, nec ſiluit patria, nec in amore & ſplendidiſſimi civis favore, aliis quicquam conceſſit. Neque enim honores magni optimis in patria Viris, nec honoribus deſunt optimi Viri, ſicut de Roma ſua *Q. Fabius Maximus* olim gloriabatur. Erectos omnium animos in WORMIUM cerneres expanſas ulnas, parata obſequia. In deſperata valetudinum cauſa WORMIO ſupplicatum, candor in exemplum tractus, vitæ integritas laudata, eruditio inuſitatæ humanitati copulata, ſtupenda fama, perſpecta pietas, & graviſſima Senis ora, cunctorum vicere voluntates, officia, venerationem. Externa quidem plebi blandiuntur,

untur, at de internis illi rectius judicant qui supra alios & honorum fastigio evecti & nativitatis sorte vulgus supergressi, & amplissimis melioris animi bonis instructi, soli virtuti precium statuunt & merita æstimare didicerunt. In utroque felix WORMIUS, & succulento animæ domicilio, miti & ad serenitatem placido vultu, minorum gentium Dîs se commendavit, & excellentibus interioris pectoris dotibus Maximorum Regum, Principum, Heroum, Cl. Virorum, meruit gratiam & quicquid benè de Republ. meritis tribui solet. Bis in nascentis famæ exordio Philosophorum Decanus designatus primos summosque Philosophiæ honores solennibus Academiæ patriæ ritibus, Viris juvenibusque, laureâ dignis, distribuit. Ætate provectior & meritis, summum in Academia Magistratum ex voto publico quinquies gessit, & in ultimo vitam clausit purpuram suam cœlo additurus. Decani in Medicorum Collegio partes decem & quatuor annorum lapsu sustinuit, ex quo summa ætate & decrepitâ impeditus Senex omni merito & encomio antiquior *D. Thomas Finckius*, priori seculo libris, hoc liberis suis clarissimus, adhuc XCIV. annorum Senio vegetus, WORMII Socer, Magnorum virorum Pater, Avus noster, multorum Proavus, & nuper Abavus, concesso ocio à publicis muneribus feriatur. Canonicis Lundensibus annumeratus, sic Sacra Divi CHRISTIANI IV. Majestate jubente, hanc Regii favoris clementiam, quam plures fortunæ debent, studio & obsequiis videbatur meruisse & publicorum in patriam meritorum æstimatione. Enimverò tanta in Medico hoc fiducia, tanta artis peritia, tanta experientiæ existimatio, ut in extremis idem Augustissimus Rex morienti sibi adesse WORMIUM voluerit, cujus saluberrima expertus fuerat consilia, prompta obsequia & subjectissimas curas. Huic Æsculapio valetudinem suam commiserat Electus Daniæ Princeps CHRISTIANUS, clementer admisso, & indulgentissimè semper habito. Nec tacenda immortalis Regum Maximi FRIDERICI III. Domini nostri sacratissimi, in WORMIUM sine exemplo clementia singularis, patriæ Annalibus dignissima. Infra suam Majestatem curiosissimus Rex, & omnium literarum amantissimus nunquam putavit inter tot Regni curas & sceptrorum sollicitudines, per vices & publicis in Academia Disputationibus & sectionibus nostris in Theatro clementissimè adesse & ad WORMIANAS

ædes

ædes rerum variarum naturæ artisq; copia eleganter instructas revisere. Imperij sui diuturnitati & prosperitati interesse credit Princeps opt. maximus, si & literis faveat, & ingenia aliquo in clementia loco esse jubeat, præmiisq; ornet quos Reipubl suæ profuturos cives vel fecit vel invenit. Ut prospectior esset Augusti Regis fides, nunquam dubia aut fallax, filio WORMIANO M. WILH. WORMIO, paternarum virtutum æmulo, Parentis in Capitulo successionem benignissimè indulsit. Universis Regni Senator, illustrissimis, inprimis Magno Aulæ Magistro *Ioachimo Gersdorphio*, & Regio Cancellario Magnifico *Christiano Thomæo Sehsted*, in Regni Senatu Princip. pressioribus WORMIANÆ virtutis & reliquorum spectatoribus arbitrisque candidissimis, Danicæ Nobil. Generosiss. tam in deliciis WORMIUS, in oculis, in amore perpetuus, ut huic Medicorum Principi sua sanitatis instrumenta post Deum prudentissimè & sine pœnitentiâ concrediderint. Ita certante amore inquilina WORMIUM prosequebantur, colebant exteri, munera mittebant, deferebant officia, & in uno WORMIO inventa quæ Majores amarent, æquales venerarentur. Nec de DEO dubitemus, summo benè actæ vitæ muneratore, in quem omnem fiduciam ab incunabulis ad extremum suspirium WORMIUS noster sincerâ pietate calens, semper vixerat, apud vos, *Auditores*, repetite, quam curæ Numini fuerit & acceptus. Ut laborũ tædia, onera honorum subinde solaretur, ut prosperiore cursu omnia procederent, tres Charites WORMIO sociatæ, ut posteritati suæ ante fata interesset, sobole numerosa auctam familiam vidit, ut deniq; domestica felicitate & publica laude frueretur diutissimè, ætatis terminum vivendique spacium ad grandem gloriosamque senectutem protraxit. Magna hæc & stupenda Divinæ gratiæ documenta, quibus digni censentur qui se DEO dignos moribus inculpatis, vitæ integritate & recti verique voluntate præstant. In thalamum WORMIANUM tres Charites deductæ tanto conjugio dignissimæ, sive genus spectes, inter nostros præcipuæ, sive formam, nulli secundæ & verè Deæ, sive denique proprias animi virtutes expendas, inter omnes sui sexus suæque ætatis maximè conspicuæ. Per vices, ne erretis aut de WORMII castitate sinistrè judicetis, hæ sibi successerunt, & unius desideriũ altera lenivit, tertia utriusq; doloris acerbitatem mitigavit. Prima *Doroth. Finchia* castos jun. mariti amores accendit, altera *Susanna Matthia*, consistentem

ſtentem ætatem firmavit, tertia *Magdalena Mothsfeldia*, ſeneſcentes WORMII canos à præcipiti fato retardavit. Omnes in amore conjugali pares & officio, impares in felicitate. Feliciore ſorte natæ præceſſerunt, ultima infelicitatem ideò ſuam deplorat quia ſequi debet, & illius lugere exſequias, qui priores extulerat. Vixit arctiſſimâ mutui amoris copulâ cum omnibus, ut inter maritum & uxores officiis certatum ſit, vixit, & elegantiſſima prole familiam ſuam beavit, Pater WORMIUS decem & octo liberorum, novem Nepotum Avus, duorum Clariſſimorum Generûm Socer. Liberorum maſculi ſexus trium funeri vivus interfuit & quatuor filiarum. Superſunt filij quatuor in ſpem patriæ & WORMIAN nominis robur nati ſurgenteſque, & ſequioris ſexus quinque, quarum binæ ex primo conjugio ſuſceptæ Doctiſſimorum Virorum thalamis fœcundæ florent, reliquæ in WORMIANO ſenio & ſimplici & gemello partu procreatæ à ſuperſtite Matre ſanctiſſ. educantur, quæ mœrore juſto afflicta poſthumum fœtum Nixiis Dîs juvantibus, defuncto heu marito, propediem eſt paritura. Ingens mortalis beatitudinis ſolatium in WORMIO Sene excitarunt conjugium beatiſſ. & ſoboles innocentiſſima; quibus feſſas vigilias, labores fatigatos, publicam famam ſubinde oneroſam, & ſeniles annorum moleſtias & mille curas ſublevavit, donec confectus lucubrationibus, publica ſollicitudine enervatus, ſatur gloriæ & vitæ longioris, Climacterici magni injuriis ingraveſcentibus, ſtanguriâ moleſtâ ſine calculi metu exacerbata, & febrili æſtu omnem corporis aliàs vegeti & præter ætatem robuſti vigorem fortiter attentante, inter noviſſimos piæ animæ ſermones, inter conjugis mœſtiſſimæ lacrymas, dulciſſimorum liberorum ejulatus, amicorum planctus, omnium mœrorem & publicas urbis, patriæ & orbis eruditi commiſerationes, fractus viribus ſed animo conſtanti & ad immortalitatem compoſito, libens fatum excepturus, Venerandus hic Senex, tot operum auctor, ſanitatum aſſertor & vindex, morborum terriculamentum, ſolatium familiæ, delitium patriæ, amicorum quos conſtantiſſimè ſemper & ſine fuco coluit, deſiderium, orbis ſtupor & virtutis omnis eruditioniſque ſubſidium; & ornamentum ſeculi, quo nec præterita ætas majorem habuit, nec parem ſequutura inveniet, meus ille, heu meus ille, quem ſiccis oculis non nomino, WORMIUS, ſine acerbo doloris ſenſu non repeto, ſine irrepa-

rabili

rabili damno, non defleo, WORMIUS sexagesimo & sexto ætatis anno, Tartessiorum Regis ætatem vivere dignissimus, pridie Calend. Sept. clↄ Iↄc LIV. anno urbi populosissimæ pestifera lue cladeque multorum exitioso, WORMIO fatali, omnibus luctuoso, mortalem vitam placido spiritu finiret, auspicatus æternam, exuvias corporis tumulo, animam beatam cœlo, famam orbi concrederet, & sui exemplum, in omnem memoriam quamdiu virtuti erit precium, Runæ supererunt, saxa immota stabunt, marmoribus erit fides & literis erunt literæ, apud posteros perennaturum. DIXI.

IN EFFIGIEM

Excellentissimi Doctoris

OLAI WORMII.

Exernam, WORMI, *tibi sculpsit imaginis umbram,*
Sed mentem Glyptes sculpere non potuit.
Nec decuit, cur non quæris? Dicam: Quia doctâ
Tu melius Glypte hanc exprimis ipse manu.
Hac docet & Med. cum te Philosophumq; vocari:
Hâc primus Danos tempora prisca doces.

M. JOH. ERASMI, Phys. Pr. P.

SCRIPTA.

Quæstionum Hesiodicarum Heptades duæ: *Hafniæ* 1616. in 4.
Jubilum Evangelicum: *ibid.* 1619. in 4.
Laurea Philosophica contra fratres Rosæ-Crucis: *ib.* in 4.
Baccalaureus Philosophiæ, cum suis requisitis & privilegiis: *ibid.* 1621. in 12.
Liber de Mundo, Comment. in Aristotelem: *Rostoch.* 1625. in 8.
Exercitationes Physicæ: *Hafniæ* 1623. in 4.
Fasti Danici: *ibid.* 1626. 1643. 1651. in fol.
Historia Norwagica Vernacula: *ibid.* 1633. in 4.
Literatura Danica antiquissima, vulgò Gothica dicta. Accedunt de prisca Danorum Poësi: *ibid.* 1636. in 4. 1651. in fol.
Monumentorum Danicorum libri VI. *ibid.* 1643. in fol.

Lexicon

Lexicon Runicum, & Appendix ad Monumenta Danica: *ibid.* 1650. in fol.
Series Regum Daniæ & limitum inter Daniam & Sueciam Descriptio: *ibid.* 1643. in fol.
Selecta Controversiarum Medicarum Centuria: *Basilea* 1611. in 4.
Controversiarum Medicarum Exercitationes XVIII. *ibid.* in 4.
De Cornu aureo: *ibid.* 1641. in fol.
Institutionum Medicarum Epitome: *ibid.* 1640. 1646. in 4.
Historia Animalis, quod in Norwagia quandoque è nubibus decidit, & sata ac gramina, magno incolarum detrimento, celerrimè depascitur: *ibid.* 1653. in 4.
Musæum Wormianum, edente Wilhelmo Wormio, Filio: *Lugd. Batav.* 1655. in fol.
Tulshói, seu monumentum Stroense in Scania: *Hafniæ* 1628 in 4.
Monumentum Trygwaldense: *ibid.* 1636. in 4.
Catalogus Musæi Wormiani: *ibid.* 1642. 1645. in 16. 1653. in 4.

VITA

Viri Amplissimi, Experientissimi, Excellentissimi,

DN. THOMÆ FINCKII,

Philos. & Medic. Doctoris eximij,
Illustriss. Holsatiæ Ducis Medici quondam Aulici, in Acad. regia Hafniensi Prof. P. Facult. suæ Decani, & Senioris meritissimi atq; Celeberrimi,

Cùm in terris XCVI. An. vixisset, placidè in Christo defuncti,

Contracta ex Programmate funebri Magnif. Acad. Hafn. Rectoris,
M. SPORMANNI, P.P.

Ortus

ORtus eſt THOMAS FINCKIUS in Cimbria Meridionali, in oppido Flensburg. anno 1561. die 6. Jan. patre Jacobo Finckio, Avo Jacobo, Senatorij ord. matre Anna Thorſchmeden, Thomæ Senatoris filia. In patris, qui Philippum Melanthonem audiverat, ſinu educatus primò, mox in ædibus avunculi Reinholdi Thorſchmeden, donec annos natus 16. ſedem Studiorum Argentinam eligeret, cui quinquennium impendit, & ſub Sturmio, Melch. Junio, Beutero, Giphanio, Golio, Daſypodio, Wolcenſteinio, Benzio, Havenreutero Philoſophiæ, Matheſeos & Eloquentiæ fundamenta poſuit. De hinc annum fermè Academiis Germaniæ, inprimis Jenenſi, Wittebergenſi, Heidelbergenſi ac Lipſienſi tribuit. Domum reverſi famæ celebritate motus Henricus Rantzovius, Cimbriæ Vicarius, Brædenbergam ad ſe vocavit honorificè, & reliquo deinceps vitæ tempore ejus honoribus maximè favit. Deinde Baſileam conceſſit, ubi cum paſſim viri docti urgerent, ut quas Triangulorum Analyſes ſolidas illas ac expeditas delinearat, partimque ex Albategnij, Regiomontani, Reinholdi, Maurolyci particularibus præceptis, partim privata induſtria in regularum generalitatem redegerat, eas publici juris faceret, ſemeſtris temporis ſpatio commoratus, Geometriam Rotundi edidit, viris doctis acceptiſſimam & publicè ſæpe laudatam. Relictis ibidem amicis & præceptoribus, Platero, Eraſto, Zuingero, Stupano, Bauhino, Italiam petiit. In Patavina Academia audivit Paternum, Mercurialem, Capivaccium, Bottonum, Guilandinum, Aquapendentem, Saxoniam, Piccolomineum, Mercenarium, Jac. Zabarellam, Malerium, &c. Nationis Germanicæ interim & Procurator electus & poſtea Conſiliarius, monumenta inibi in Templo D. Sophiæ erecto, & Bibliotheca tum primum inſtituta. In Piſana Academia Cæſalpinum & Bonamicum elegit amicos, à quibus quoque in publicis Scriptis eſt laudatus. Florentiæ Mariæ Noſocomium aliquot menſium ſpacio illum detinuit. Italiâ, quadriennio confecto, viſâ universâ, Baſileam rediit, ubi à Theodoro Zuingero Medic. Doctor, die Barthol. an. 1587. renunciabatur. Inde celebriores Germaniæ partes & Academias perluſtravit, totumque tractum Danubianum, item Poſoniam, Jaminum ac Comorram Hungariæ, & per Moraviam, Bohemiam, Miſniam Marchiamque ad ſuos domum rediit. Reverſum Illuſtriſſ. Princeps PHILIPPUS, Dux

Dux Slesvici & Holsatiæ, Gottorpium evocavit, Medicumque suum constituit. An. 1591. delatam in hac Academia Mathematicam Professionem adiit, donec 1602. Eloquentiæ Professioni præficeretur. Non longo post tempore Oeconomiæ & Communitatis Regiæ bona administranda suscepit. Et quanquam Professio Medica, post obitum D. Andreæ Christiani, Cl. Viro, D. Petro Severino Archiatro decreta esset; tamen cum ille immaturo fato Academiæ eriperetur, & paulo post D. Andreas Lymvicus Medicus Senior esse desiisset, factum est, ut prius quàm ab illo relictam Medici secundi stationem adiret, hujus locum An. 1603. consequeretur. Interim conjugium, quod 1590. cum Virgine pudicissima, Sostrata Ivaria, in Frisia Eidorensi prognata contraxerat, filiis tribus & 6. filiabus auxit. Primus natu M. Jacobus Finckius, Phys. P. & Acad. jam post parentem Senior, cum conjuge Margaretha Tetens, Avum fecit duorum filiorum & totidem filiarum, Proavum verò duorum filiorum totidemq; filiarum. Filia natu major Anna, quæ nupsit D. Casparo Bartholino, Prof. P. Sex nepotes unamque neptim Seni Finckio genuit, novem pronepotes totidemque proneptes, duas abneptes. Altera Margaretha, quam duxit D. Georgius Fuiren, tres nepotes duásque neptes, pronepotem unum & tres proneptes. Tertia Dorothea, conjux D. Olai Wormij Profess. P. sex neptes quinque pronepotes & sex proneptes. Quarta Druda, uxor D. Joh. Brochmanni Prof. Theol. duos nepotes, quatuorq; neptes & duos pronepotes, quos si numerare mavis, erunt 79. (Anno 1661. excrevit numerus ad 107.) Magistratum interea Academicum summum quintum gessit, & Academiæ negotiis spatio 65. annorum vocavit Regis CHRISTIANI IV. valetudinem sæpe, inprimis in itinere Norwegico, curavit. Oeconomi priores ædes & aream dupla accessione locupletavit, novo insuper cœnaculo pro Studiosis alumnis exstructo. Splendidum illud ædificium, quod Regentiam vocant, habitationibus alumnorum regiorum destinatum ædificavit. Oeconomiæ res ita dispensavit, ut plus quàm 40. ultra numerum consuetum, alumni libera mensa alantur. Ædes communitatis incendio conflagratas, restauravit ad istam, quam nunc in platea Septentrionali visuntur magnificentiam. Medicinæ & Philosophiæ Studiosis 3000. Imperiales legavit, præter alia in pauperes erogata. Annum agens 96, laborum & annorum satur,

viribus quotidie magis magisque debilitatis, 10. April. proximè elapsi febricula corripiebatur, quæ accedentibus gravissimis ex Calculo, aliisque pectoris doloribus, Senio confectum corpusculum lancinarunt, ut decimo quarto à decubitu die, 24. ejusdem Aprilis, animam Creatori placidissimè redderet, &c. Hafniæ d. 2. Maj. 1656.

EPITAPHIUM.

D. O. M. S.
THOMAS. FINCKIUS. FLENSB. PHILOS. ET. MEDIC. DOCTOR. ILLUSTRISS. HOLSATIÆ. DUCIS. PHILIPPI. MEDICUS. QUONDAM. AULICUS. ACADEM. POSTEA. HAFNIENS. MATHEMAT. ET. ELOQUENTIÆ. PER. XIII. MEDICINÆ. VERO. LIII. PROFESSOR. PUBL. FACULTAT. DECANUS. ET. SENIOR. CANONICUS. ROSKILDENSIS. REGIÆ. STUD. OECONOM. LIV. ANN. PRÆFECTUS. DUM. VIXIT. PATER. AVUS. ABAVUS. ATAVUS. LXXIX. LIB. VIDUITAT. XLII. ÆTATIS. XCVI. VI. KAL. MAII. M. DC. LVI. PLACIDE. DEFUNCTUS. EX. DORMITORIO. SUO. GLORIOSAM. RESURRECTIONEM. EXPECTAT.

***

In Domo Anatomica Hafniæ legitur & hæc Inscriptio:

MUSÆUM. NATURÆ.
LIBERALI. MANU.
DIVINI. SENIS.
D. THOMÆ. FINCKII.
PROFESSORIS. PER. ANNOS. LVI.
OPTIME. MERITI.
IN. QUEM. NATURA. OMNIA. SUA;
MUNERA. CONTULIT.
PUBLICO. BONO. EXSTRUCTUM.
UT. CUM. NATURÆ. PERENNITATE.
FAMA. EJUS. ESSET. SEMPER.
SUPERSTES.
A. C. cIↄ Iↄc LVII.

SCRI-

SCRIPTA.

Geometriæ Rotundi libri XIV. *Basil.* 1583. 1591. in 4.
De Constitutione Matheseos: *Hafn.* 1591. in 4.
Horoscopographia, sive de inveniendo stellarum situ Astrologia: *Slesvvici* 1591. in 4.
De Hypothesibus Astronomicis, dimensionibus Mundi, ac primi Motus Circulis: *Hafniæ* 1594. in 4.
De ortu & occasu siderum; *ibid.* 1595. in 4.
De diebus & noctibus: *ibid.* 1601. in 4.
De Mensibus & Annis: *ibid.* 1602. in 4.
Tabulæ Multiplicationis & Divisionis: *ibid.* 1604. form. obl.
Ephemerides variæ: *ibid.* in 4.
Tres tabulæ quotidiano numerandi usui accommodatæ: *ibid.* 1615. in 16.
De Medicinæ Constitutione Disputationes XVII. *ibid.* 1627. in 4.
Appendix de Canonis Triangulorum usu etiam in Cyclometricis: *ibid.* 1627. in 4.
Dispp. de Peste: De Hydrope, &c.

ORATIO
In obitum
Meritissimi Viri,

HENRICI FUIREN,

Medic. Doctoris, & in Regia Acad. Hafniensi Professoris Publ.

Dicta
Hafniæ VII. Cal. Jun. An. M. DC. LIX.
à
THOMA BARTHOLINO.

INusitatum candoris virtutisque omnis exemplum nobis orbiq; subreptum in HENRICO FUIRENIO, Clariss. Medi-

Medicinæ utriusq; Doctore, deploramus, cui justa persoluturi, dolendum ne in publica magis calamitate quam privato amici luctu jure dubitamus. Æstimanti enim utriusq; jacturæ, pacis & amicitiæ, fortunæ & virtutis conditionem, illa potior occurrit, cujus damnum est irreparabile, quæque meliora exempla mortalium animis impressit. Æstuantis quidem belli exempla detestamur, quibus veluti pilæ hinc inde varia fortuna, sed dura semper, jactamur, milleque miseri involvimur ruinis, cœlo infenso & superis iratis in nostri perniciem conjurantibus, quum ubique prostent miseriarum argumenta, & velut victimæ homines passim immolentur, ut patriam tandem in patria quæramus, & alia opus sit infelicitate ad istam tuendam infelicitatem. Malorum omnium in bello summam contraxit DEUS scelerum vindex, quia nostra scelera vindictam merebantur, & suppliciis nostris acerbæ Numinis iræ litandum erat, quæ tanto urgent premuntq; vehementius, quo sunt justiora: Sed tamen, quia pacis tantum causa ex *Platonis* sententia suscipiendum, mediis bellorum fluctibus haud dubia spe erigimur, quod pace postliminiò nobis restituenda, aliquando sit terminandum, quodque vitiis cessit, virtute possit revocari. Quis verò integros illos mores reducet, antiquam constantiam & candidam mentem, quibus cum FUIRENIO ivimus nuper exsequias? Vellem nobis blandiri, si possem, si seculi iniquitas pateretur. Prona jam mihi in pejus fides. Mala multa patimur, sed majora vel experiemur vel merebimur, quia exulat candor, proscripta ex animis recti veriq; voluntas, in DEUM hominesq; amor, & quicquid deniq; beatos nos reddit & felices, laudare malumus quam imitari. Bellorum finem prævidemus, sed nunquam vitiorum, quæ insanabilia, quia ferro exasperantur. Nos igitur publicis his ærumnis irretiti, quibus se subtraxit præscia futurorum FUIRENII mens, tantum virum privatim, sed publico quoque nomine grata in beatos manes recordatione deflemus, quod vitæ tædio inter maxima mala existimaverit vivere, morique maluerit natus divinâ, quam didicerat arte, mortales servare, quam inter vivos quotidiana funera intueri, & perversos mores. Utinam eo amico diutius frui licuisset, ut tantarum virtutum commercio publicis facilius incommodis sufficeremus, quibus tantò urgentius premimur, quo acerbior est doloris magnitudine amici memoria. Ego tot annorum itinerum studiorumque comes,

sangui-

ſanguinis vinculo, ſed majori amicitiæ veritatiſque jure obſtrictus, committere nolui, ut beati FUIRENII & in publicum & in me merita, totq; illuſtres virtutes, quibus velut gemmis vita ejus inſigni fulgore coruſcavit, alta oblivione ſacri vatis defectu ſopirentur. Pauca ex multis libabo, quia cuncta paucis pagellis comprehendere, nec mea tenuitas nec fœcunda bonis exemplis FUIRENII vita patitur, in qua ſola beatiſſimæ vitæ habuimus compendium. Plura tamen dicturus ſum, quam voto conceperam. Enimverò, quod ſi ipſum redivivum quotidiè intueri, & velut in ſpeculo non fictam virtutum maximarum ſpeciem admirari in ſuperſtite liceret, jucundius opera hac ſuperſederem. Nunc quia nobis fata Virum inviderunt, penè dixerim, virtutem omnem ex mortalium contubernio cum illo abduxerunt, in hoc erimus facundi, ut præ multitudine excellentium virtutum vel minima dicantur. Nota narrabo, à primis tyrocinij annis conſuetudine mihi perſpecta, quorum fidem non commendabo Lectoribus, quibus vel FUIRENII virtus, vel noſtra fama innotuit, ego inſuetus mentiri, ille nec mentientes ferre.

Sicco pede præclaros FUIRENII natales præterirem, niſi & hi inter virtutis argumenta eſſent, quibus inflammati poſteri, ad gloriam concitatiori curſu graſſantur. Non terræ filius fuit noſter, ſed ex familia Aſclepiadea ſatus, Patre Medico conſummato, ſed extra ſeculi faſtum D. *Georgio Fuirenio*, Botanico & Chymico nulli ſecundo, Matre verò Matrona incomparabili *Margareta Finchia*, ſummi Medici D. *Thomæ Finchii*, Avi noſtri, filia lectiſſima. Dies erat XXVIII. formoſiſſimi Maij, quarto decimo ſeculi currentis anno, quo lucem primam vidit beatus FUIRENIUS, & primam parentibus laudatiſſimis, Avoq; Paterno tum adhuc ſuperſtiti, Spectatiſſimo Viro *Henrico Fuirenio* Seniori, ſpem & exſpectationem concitavit, quam cum ætate egregia pueruli indoles indies exauxit confirmavitque. Eluxere enim in prima ætate haud obſcura indicia, quibus & ſe tantis parentibus dignum aſſereret, & ſequuturæ vitæ præclarum initium faceret. Ab utroque Avo, rariſſimo & venerando ſenum pari, gravitatem primis annis didicit à Patre Doctiſſimo literarum ſemina, à Matre, qua nihil inter fœminas ſanctius, cum ipſo lacte pietatem, probitatem cœloq; dignas virtutes cæteras imbibit, ex omnibus compoſitos mores & vitæ integritatem, quam ſemper ſervavit, lauda-

bili æmulatione expressit animo & concepit. Haustis domi à severis magistris studiorum fundamentis, altius posteà aliis se neutiquam immersit, quibus ad ornatum potius quam utilitatem eruditi utuntur, sed quum artem longam, vitam perbrevem ex *Coo* intelligeret, statim patriæ Academiæ initiatus, initia meditabatur artis ad quam naturæ quadam propensione, & parentum exemplo ferebatur. Tantum tamen aliis indulsit, ut linguis Latina & Græca scientiisque Philosophicis, inprimis Mathesi, esset abundè ad eruditionem Medicam instructus. Et hæc & illa acriter ursit auspiciis beati Parentis nostri, in cujus familia per tempus vixit, moxque morienti adstitit, & fideli operâ Magni Avi sui *Thomæ Finckij* cujus convictu posteà & eruditione quotidie utebatur, denique consiliis D. *Olai VVormij* Affinis & M. *Iacobi Finckij* Avunculi, plurimum adjutus, quorum omnium ductu tantùm profecit, ut capacior animus per latiorem orbis campum esset explicandus. Itaque Soram cum Parente nostro & fratre seniore *Bartolo Bartholino* concessit, ut D. *Ioachimo Bursero* Celebri Floræ Amasio, familiarius innotesceret. Nunquam eo fuit animo, quo multorum stultitia pervenit, quibus patriæ bona sordent, & externa quæcunque singulari se fuco adornant. Famam & eruditionem magnorum Medicorum, qui ea tempestate in patria nostra eminuerunt, *Finckii, VVormii, Arnisæi, Fabricii, Burseri, Laurenbergii, Fossii, Pascasii, Sperlingii, Severini, Lalii*, aliorumque, suspexit semper & ad imitandum seriò, nec infelici successu elegit. Insigni Parente suo præmaturè orbatus, ab aliis hausit scientiam, qua ad stuporem domi ille abundabat, filioque eandem insevisset, si mors non intervenisset, magnis inimica conatibus. Posteaquam Soræ Clarissimo *Burseri* succo victitasset propter Epidemiam luem, quæ patriam depopulabatur, & Excessum Parentis nostri *Caspari Bartholini*, ad suos reversus alios soles meditabatur, quibus ulterius inclaresceret virtus domi spectata. Belgium primò adiit, & in florentissima Leidens. Academia, vicinisque bonarum literarûm emporiis, quatuor annorum decursu universum Medicinæ studium absolvit. Cadaverum sectionibus apud *Adrianum Falcoburgium*, nitidum Prosectorem, vacavit, Botanico sub *Adolfo Vorstio* Floræ genio & Polyhistore excoluit, crebrisque excursionibus inquilinas Bataviæ plantas collegit, Praxin auspiciis *Ottonis Heurnii* & *Evvaldi Screvelii* exorsus, Nosodochium

chium frequentavit, & duce *Ioanne VValæo* Medico subacti judicij singula accuratiori cura percurrit. Subindè Amstelodami summos in arte secandi & medendi Magistros *Nicolaum Tulpium* & *Zacutum Lusitanum* audivit invisitque. Franekeræ nonnunquam studia sua *Menelao VVinshemio* notæ famæ Medico, submisit. Trajecti quoque ad Rhenum, cujus solenni inaugurationi interfuit, *Henrico Regio*, *Reimero*, aliisque raræ doctrinæ Professoribus innotuit. Enchysæ denique Paludani Musæum, Naturæ illud theatrum, curiosis oculis perlustravit. Ubique hoc egit, ne locatæ operæ temporisque pœniteret, ab omnibus quos eruditio Medica evexit, mutuatus est, quod arti suæ sciret profuturum, & ubique modestiæ, candoris & insignis doctrinæ famam post se reliquit. Maturus deindè eruditione & judicio ad Gallos abiit, cultissimam gentem, ut officiosam linguam amplioremque doctrinæ proventum sibi compararet. Lutetiæ in scholis Medicorum discendi cupidus frequens visebatur, in Theatro Anatomico Medicorum & Chirurgorum assiduus erat Dissectorum spectator, privatoque cultro extra animalium evolvit, in Nosocomiis instructissimis variorum morborum historias vidit & curationes, sub *Davisonio* Chymico Clarissimo arcana Naturæ ignis artificio sollicitavit & invenit, Hortum Regium variis plantis sub *Dn. de la Brosse* magnificè nuper instructum, amore Floræ sæpiculè ingrediebatur, & quicquid denique ad artis suæ perfectionem ubique in urbe vastissima extabat sine tædio viarum aut sumptuum avidissimo animo venabatur. Reliquas Galliæ Provincias eadem solicitudine percurrit, non tam videndi studio, quod plurimis sufficit, quam ut naturæ varietatem in elegantissimo imperio, & doctorum de singulis judicia exquireret. Bone DEUS! quam turpiter hic alij se dare solent, qui terras oberrant, veluti pecora, luxum peregrinum tantum sectantur & ad suos referunt, neglectis præclaris gentium institutis, sola vitia, habitum peregrinum, & peregrinos morbos pro usu patrio mercantur. Rectiùs domi manerent illi, & focum patrium instruerent. Oceanum, ad quem sanctius vivitur, suis moribus inficiunt, & dum alienos errores imitantur, propriæ pœnæ miserè succumbunt. Noster FUIRENIUS ubique incorruptos mores servavit. Vitia aliorum vidit multa, sed correxit & exsecratus est, omniaque præclara amplexus didicit in peregrinatione servare modum. Pec-

cant enim & illi, qui nimis curiosâ diligentia per omnia vagantur quæque multi scire debent, soli volunt. Non omnia mens humana capit, & omnium intervenire secretis in peregrinatione periculosum. Id per universam vitam FUIRENIUS egit, ut sine ulla Polyhistoris ambitione, sola illa sectaretur modestissimè, quæ maximè facerent ad Medicæ artis complementum. Pluribus illam temperantiam optaremus, qui universum ingenio suo metiuntur, & intra diligentiæ suæ ambitum constringunt. Fastidientis stomachi est, omnia Apicij fercula degustare, quæ inquinant corpus, non alunt. Ut ciborum, ita & doctrinæ suus est modus. Nimia eruditio onerat, moderata prodest. Hinc, dum omnia nonnunquam nimia sciendi aviditate sectamur, quæ necessariá sunt vel negligimus vel non assequimur. Latè patet Medicinæ campus, per quem decursurus, caveat, ne vel nimiis sarcinis oneri succumbat, vel serius tardiusque iter aggrediatur. Antiqui amplitudinem artis emendaturi, ut singulis pares essent, singulas partium affectiones suis Medicis assignarunt. Nostro seculo omnium particularum salus uni Medico incumbit, qui vix partibus suis ex voto ægrorum defungetur, si per varia Criticorum, Historicorum, Antiquariorum, Philosophorum, Politicorum, JCtorum, Theologorum studia nimio temporis dispendio & audaci temeritate fuerit divagatus. In immensum quoque crevit Medicorum inter nostros scientia. Anatomes, Botanices & Chymiæ amplitudo, & novorum morborum infelix ortus, potiorem hominis ætatem solitariasque curas requirit. Itaque accuratum FUIRENIUS cum studiis calculum subduxit, & neglectis in itinere quisquiliis seriora Medicorum apprehendit. Quo animo ab itinere suscepto ad Montem Pelium deflexit, illustre illud Medicorum domicilium, ubi copiosius per campos suas opes Flora & ornamenta spargit, & in Urbis horto luxuriat. Gratâ præsentiâ *Fr. Ranchini* & *R. Bellevali* Medicorum in orbe notorum favorem ibidem meruit, & *Catellanum* celebrem Compositionis Alkermes Dispensatorem convenit. Marsilia Genoam vectus, per Liburnum, Pisas, Florentiam, & Bononiam, Patavium appulit, quam studiorum optatissimam sedem sex annorum spacio sibi delegit. In familia *Joannis Rhodii* Polyhistoris & Medici, maximo Reipublicæ Literariæ damno non ita pridem defuncti, ex cujus familiaritate quotidiana tantum discere potuit, quantum frustra

alibi

alibi passimq; per orbem quæsivisset, cum fratre *Thoma Fuirenio*, Viro Eruditissimo, naturæ artisque Medicæ abditis nocturna diurnaque industria se immersit. Ingentes conatus juvit *Ioannis Veslingij* in dissecandis cadaveribus dexteritas, & in Creticis Plantis facundia, quem etiam ad Baldi montes amicum comitabatur; Magna *Veslingij* erat fama, & major eloquentia, quam accurata manus comitabatur. Quum duraturo ad omnem memoriam operi Anatomicas figuras per cælatorem ex vivis cadaveribus exprimendas adjungeret, præter FUIRENIUM nostrum, Me & *Leonicenum* admisit neminem. Eodem *Ioanne Leoniceno*, artis perito, præeunte, homines animaliaq; privatâ manu FUIRENIUS eviſceravit, & artificiosas venarum, arteriarum & nervorum, magna cura ex unius hominis cadavere exsectorum, tabellas stupendo opere exstruxit patriæ Academiæ destinatas. Chirurgicas operationes apud *Petrum de Marchettis*, unicum *Aquapendentis* discipulum superstitem, manu promptum & consilio, accuratè perdidicit. Chymiam cum J. *Zuvelfero*, domestico tum nostro, jam benè de Re Pharmaceuticâ merito, recoluit. Consultationibus gravissimorum Medicorum *Benedicti de Benedictis*, *Io. Dom. Salæ*, *Benedicti Sylvatici*, *Io. Veslingii*, *Fr. Frigimelicæ*, aliorumque, subcisivas horas impendit, & perpetuus Exercitatiss. Medici *Io. Dom. Salæ* laudati erat comes, cujus favore & incredibili humanitate ad omnes ægros cum illo admittebamur. Referebat ad Diarium singulorum ægrotorum affectiones, causas morborum, signa, curandi Methodum, remediorum formulas à Sene nostro præscriptas, denique eventum, qua exercitatione nihil ad rectè feliciterq; medendum utilius, quum frustrà in universalibus scientia nostra occupetur, nisi in Cajo vel Titio exerceatur. Bibliothecæ interim illustris Nationis Germanicæ cum laude præfuit, resque ejusdem tantâ prudentiâ, Consiliarii titulo, administravit, ut omnium applausum meruerit, & supremum in Gymnasio Patavino magistratum obtinuisset, si à modestia ejus id impetrare potuissemus. Cæterum gloriæ contemptor maluit honores mereri, quam accipere, & quanquam civili abundaret prudentia, eruditioneque Medica excelleret, nunquam tamen vel inde laudem, vel hinc lucrum ambivit. Sibi maluit privatim vivere & cum sapientia habitare, quam publicæ omnium se invidiæ exponere. Felicius degunt, qui hac animi moderatione vitam quietam sine

ambitu ducunt, verè illi vivunt, nec ſpiritum ab aliis precariò trahunt. Honores declinare quos meremur, magnæ opus eſt prudentiæ, majoris tamen ſeipſum prudenter ſine faſtu gerere, & ſua felicitate contentum ſibi ipſi imperare. FUIRENIUS noſter ſibi oblatum honorem Naturæ artiq; Medicæ detulit, dum ſpretis aliorum ſuperbis curis, honorumque blandimentis unius veri utilisque inveſtigationi ſeſe unicum addixit, ut ſciret penitius naturæ procus, quid ſinu interiori condiderit natura, quid amaſiis ſuis aperuerit, quid de naturæ vitiis & morborum incantamentis vel uſus probaverit, vel majores tradiderint. Utrumque in prolixo itinere quæſivit & invenit. Majorum juniorumque Medicorum placita ex editis monumentis inveſtigabit, quæ tantâ curâ tantoque delectu paſſim in itinere & patriæ redditus congeſſit, ut paucæ in orbe medico huic Bibliothecæ conferri poſſint. Naturæ varietatem & inſolitos morborum caſus ſedulâ inter itinerum moleſtias invenit exercitatione. Hac mente animatus, quum diutius moram utilem Patavii traxiſſet, reliquas Italiæ urbes data oportunitate perluſtravit. Venetijs *Cæcilii Folii* Anatomici & aliorum conatus publico dedicatos expendit. Bononiæ, *Fortunii Liceti*, Philoſophi tum eminentis, poſtea primi in Gymnaſio Patavino, *Sala* defuncto, Profeſſoris Medici amicitiæ ſe inſinuavit. Ibidem opera *Barth. Ambroſini* in Muſæum Aldrovandinum admiſſus Naturam variam venerabatur. Florentiæ Magni Ducis Etruriæ officinam Chymicam & alia viſu digna inviſit: In urbium Reginâ Româ benevolè ab Equite Illuſtri *Caſſiano à Puteo*, naturæ & antiquitatis promocondo exceptus, eruditos *P. Athanaſii Kircheri*, utiles *Pauli Zacchiæ*, & curioſos *Petri Servii* labores admirabatur. Neapoli Chirurgorum Principem *Marcum Aurelium Severinum*, hoſpitem olim noſtrum ſibi demeruit. Inde Veſuvij vidit ignes, thermas Puteolanas, fontes Tiburtinos, & quicquid rarum aliisque terris inviſum florentiſſima Italia exteris ſolet monſtrare. Omnium ſingulari amore tenebatur & de natura ſollicitus, viſis imperati Neapolitani & Calceolarij Veronenſis naturæ theſauris, ipſe collegit quicquid hinc inde illuſtre ſpectantium oculos animosque exſatiat. Digna profectò ſeveris ingenijs diligentia, unde preſſius naturam velut nudam & ſine velo intuemur. Ludunt illi operam, qui Naturam inter Sophiſtarum tricas & diſputationum contentiones quærunt,

Monſtrari

Monſtrari debent hæc, non diſputari, & ſexcentis Sophiſtarum diſtinctionibus ne culicem æſtate mediâ profligaveris. Peſſimè ſe proſtituunt multi, qui pleno ore de plantis certant, de animalibus differunt, de Metallis commentantur, de natura Rerum litigant, & ſi ad rem ventum fuerit præter olus & aſinos norunt nihil, quia in cerebro naturam formant, & ingenij acumine conſtringunt. Inſpicienda ipſa Natura eſt ut intelligatur, & ſenſibus inveſtiganda, quæ ſenſibus capiuntur. Ingredere Muſæum FUIRENII, quicunque Philoſophi nomen inanibus altercationibus ambis, ut Philoſophus egrediaris, diſcasque, quod ignoras, aliud eſſe naturam noſſe aliud rationem. Videbis ibi artificioſas oſſium humanorum omnis ætatis compages, nervorum venarumque ſpecioſas tabellas, metallorum genera, mineralia, terrarum varietates, gummata, lapides ſuis claſſibus per ſpecies diſtinctos, animalia peregrina, monſtroſos piſces, ſerpentum exuvias, lacertos ſquamoſos, inſecta variegata, miras concharum facies & infinita alia Naturæ ludentis miracula, ex quibus ad publicum commodum & ſolidam eruditionem plus erues, quam ex mille libris, aut bis mille diſputationibus. Hiſce in itinere accuratè conquiſitis domique poſtea digeſtis, animum verâ Naturæ cognitione imbuit FUIRENIUS & per omnem vitam inſigni voluptate pavit. Hoc Medicæ doctrinæ theſauro, uſu rerum præclararum, ſelectiſſimorum librorum & univerſæ Naturæ copiâ inſtructus, velut amplis ſpoliis, relictâ Italiâ per Parmam, Placentiam, Mantuam, Mediolanum, perq; Alpes invios cum fratre *Theodoro Fuiren*, illibato illo pectore, Helvetos ſalutavit maſculam & cordatam gentem, inprimis Baſileæ, laude medentium claræ, videndi deſiderio tenebatur. Summa humanitate Medicinæ Proceres, *Emanuel Stupanus*, *Io. Iacobus à Brunn*, *Io. Caſp. Bauhinus*, *Felix Platerus Iunior*, junctos nos exceperunt, utriusque Parentis memoriâ & amicitiâ. Paſſus eſt hic FUIRENIUS noſter ſe exorari, & à ſe tandem difficillimè obtinuit, ut antequam patrios reviſeret lares, exantlatorum laborum ſolidæ eruditionis Medicæ teſtimonium, ſolenni ritu publicè exambiret. Ab omni faſtu ſemper fuit alieniſſimus, doctusque maluit eſſe, quam videri. Ne tamen præter majorum conſuetudinem ſibi diffidere videretur, hoc mecum elegit Brabeuterium, in quo utriusque Parentes, Avi & affines lauream Medicinæ ſupremam reportarunt, ubi cum

delectu

delectu ingeniorum honores digni conferuntur. Igitur Patres Basileenses, justi humanique candidatorum censores, audita in privato examine FUIRENII in Re Medica eruditione, ad publicas Lectiones admiserunt, quas disputationis vicarias, urgente pectoris necessitate, data optione elegit. Hydropem Asciten triduanis prælectionibus in Medicorum Collegio eo eruditæ caveæ applausu absolvit, ut qui publicam alioquin lucem de industria declinaverat, suasu tamen Clarissimorum Virorum typis Basileensibus posterorum memoriæ commiserit. Ita publico consensu Doctoralem mittam diribitore Celeberrimo *Bauhino* in eadem mecum Cathedra jure meritissimo Pridie Idus Octobr. cIɔ Iɔc XLV. obtinuit. Gratulabar impensè mihi, quod in partem præmiorum admitterer, qui eruditione rerumque usu libenter illi & ex merito cedebam. Sensimus & aliud Doctorum Rauracorum beneficium, quod in Collegium Medicorum adoptati Principibus illis Achivis permisceremur. Quæcunque FUIRENIO hic & ubique consignabantur virtutum laudumque documenta, minora meritis censebantur. Laudari ab omnibus virtus, satis tamen à nemine æstimari poterat. Ægrè hinc divulsus, per Solodurum, Bernam, Lausannam, Genevam, Lugdunum & Aureliam, tandem Lutetiam rediit, difficillimis itineribus hybernis, ubi lustratis revisisque quæ digna videbantur, intimiusque cognitis quæ ex usu existimavit, magnam Britanniam magnorum ingeniorum feracem meditabatur. Temporum verò injuria & bellorum civilium tempestate sæviente, in Belgium regressus, amicis veteri necessitudine conjunctis *Vorstio*, *VValæo*, & consanguineo *Andrea Bickero*, Consule Amstelodamensi & Fœderatarum Provinciarum Ordine Illustri, officiosè valere jussis, ad reditum in patriam se mecum composuit. Comite *Petro Charisio*, cognato nostro honorando, per Frisiam utramque, Groningam, Bremam, & Cimbriam ad desideratam Matrem & Amicos, ad patriam urbem post decem & trium annorum iter, animo ad rectas spes sublevato properavit. Ingenti doctrinarum & experientiæ supellectile onustus, privatos suos lares redux composuit, sibique vixit & amicis. Molestus nemini, omnibus gratus morum integritate & vitæ innocentia ad exemplum stupendæ. Bibliothecam magno passim studio & sumptu collectam erexit, omnium ætatum Medicis instructissimam, & in suas classes ordinesque dispofuit. ut

non

non tam propriis quam amicorum usibus inserviret. Nullum enim ex commodo hujus thesauri usu exclusit, nec canis ad præsepe excubabat. Ipse necessarios per vices & temporum indulgentiam revolvit perlegitque, ut hausta foris Medicinæ arcana, continuis domi lucubrationibus perficeret. Consulebatur in dubiis rerum eventibus, & librorum usuram omnibus literatis amicè concessit, sed Medicis; Sicut enim reliqua studia arti suæ postposuit, ita nec ullum in Bibliotheca patiebatur librum, qui vel Medicam rem vel Naturalem historiam non complecteretur, Logicorum, Grammaticorum, & Criticorum farraginem aversatus. Hoc unum in vita quieta studiosè curavit, ne inutili aliarum rerum vel lectione vel possessione feria interrumperet, & utilia obfuscaret. Ita enim vita potuit æquali & uno tenore procedere, quam alii propositis diversissimis scindunt. Curas seriores horti urbani cultura interpunxit, *Dioscoridis*, *Theophrasti*, *Clusij*, *Bauhinorum* studia æmulatus. Rariores plantas & exoticas curiosè collegit, & quotannis conservavit. Et ut corporis falleret imbecillitatem levaretque, subinde æstivis mensibus in prædio Eberrodiano cum *Varrone*, *Columella*, *Palladio* & Constantino Cæsare rusticabatur. Numerosam ægrorum multitudinem nunquam ambivit, commissorum tamen sibi curam habuit diligentem. Quanquam enim ad intima Medicinæ admissus in artis operibus esset exercitatus, non concessit tamen corpusculi valetudo pluribus vacare. Rogatus nulli operam suam denegavit. Quos angusta res domi premebat, & consilio & ope subvenit. Nec publicis reipublicæ muneribus inhiavit, quæque in aliis venerabatur, neglexit ipse, non contemptu sed necessario valetudinis prætextu. Publicam illam servitutem magnæ fortunæ declinavit, ubi nihil ex arbitrio nostro nobis licet, sed sæpius opprimit invidia virtutes. Optima cum lare suo secreto ratio constabat, quem legendo & meditando splendidè ornavit, secumq; ea egit, per quæ posteris profuit. Magnificam à se exstructam in fundo paterno domum, Democriti speluncam esse voluit & naturæ collegium, mutis Bibliothecæ Doctoribus refertum, Musæo raris Naturæ operibus mirandum, hyeme exoticis plantis virescens, avibus personans, semper variis experimentis occupatum, amicorum denique quos constanti & incorrupta fide dilexit, eruditis colloquiis sæpissime illustre. Sobrietate vitam

tam fragilem temperabat, fine libra, fed non fine modo vivens. Parcè prandebat, primo femper ferculo parabilis cibi contentus, ne animo nebulas & corpori pravorum humorum materiam offerret. Inter caufas malorum noftrorum eft, quod vivimus ad exempla, non ratione ducimur, fed confuetudine. Ille verò egregio fuo exemplo fine exemplo contentus, luxum omnem deteftabatur. Legis Oppiæ abrogationem truci magis quam Porcius olim Cato oratione inhibuit, nec unquam vehementius excanduit, quam ob confuetam in conviviis & veftibus patriæ profufam licentiam. Cæteroquin mitiffimo erat ingenio, nullos lædere, fed nec lædentes ferre. Famæ popularis contemptor, ita fe tamen geffit, ut maximâ famâ inter omnes maximos & medioxumos dignus effet. Nunquam filentio involvenda FUIRENII merita, æterna fit beneficiorum illius apud cives noftros memoria, quod in Academiæ ornamentum & civium utilitatem publico teftamento inftructiffimam Medicam Bibliothecam dedicarit, publicis omnium ufibus inferrituram, falariumque illius exauxerit, qui Bibliothecæ curam eft habiturus. Legatum fatis æftimari à nemine poteft, nifi à fapiente, cui notum eft, quanti res tanta fit taxanda. Præivit olim *Petrus Albertus* Academiæ noftræ Rector, & fumma prudentia apud Majores fpectatur, qui librariam fuam fupellectilem Academiæ primus confecravit. Crevit numerus clementiâ Auguftiff. Regis Divi CHRISTIANI IV. Quibus fymbolam contulit *Andreas Lymvicus* meritiffimus in Acad. Medicinæ Doctor. Majorum liberalitatem in immenfum auxit incomparabilis Epifcopus Selandiæ, *Casp. Erafmi Brochmannus*, cujus nulla ætas delebit apud nos memoriam. FUIRENII verò Bibliotheca, quam non Apollinis, ficut olim Augufti ævo, fed SS. Trinitatis templo confignavit moribundus, ut ex divinis ingeniorum monumentis, furgens mortalium gloria & falus in DEI T. O. M. tutela effet; primam inter Medicos laudem meretur, quos ingenti librorum rariffimorum numero folus inftruit. Quidquid ab antiquis Græcis, Romanis & Arabibus præclari in chartas relatum fuit, quidquid medij ævi Scriptores de re Medica commentati funt, quidquid denique diligens fequentium feculorum induftria vel novi invenit, vel ex antiquis invenit, ftabilivit confirmavitque FUIRENIUS collegit, & æternis ftudioforum ufibus deftinavit. Nec in hiftoria Naturali quiddam defide-

tari

rari voluit, quod hactenus quidem sub incude venit, & ære precioque comparari potuit. Defectum publici juvandi promptitudine supplevit frater *Thomas Fuirenius*, cui idcircò immortales gratiæ debentur, quod in omnium seculorum cogitationes admittamur, nec ullo penè Medico nobis sit interdictum. Ne verò naturam ex libris solis venaremur, inæstimabili liberalitate ex Musæo addidit secretissima Naturæ miracula & ostenta, quibus colligendis domi forisque desudavit, sumptusque necessarios suppeditavit, quibus & indies excrescerent, novorum accessione, & Medicorum Collegium commodius hoc loco hospitaretur. Videmur jam ubique, dum in Musæo Academico versamur, provida FUIRENII cura locupletato, quod terrarum omnium & aquarum, animalium hominumque portenta claudit. Quæ fusa oratione libri adumbrarunt, hic oculis obversantur, quæque illi conjecturâ investigarunt, nos palpamus, & cum rerum natura in consortium omnis naturæ pariter incedimus. Habet hic quo se Medicus exerceat, quod tyrones discant, quod admirentur omnes, quo nomine tibi, FUIRENI beate, patria universa obstrictam & debendi ream se profitetur. Hæc erunt virtutis tuæ tropæa, hæc publica monumenta, quibus nomen æternitati apud nos posterosque consecrasti. Nec minus illi Respublica nostra Medica debet, quod in Dispensatorio Hafniensi conficiendo præclaram cum cæteris Medicis operam contulerit, classesque ipsi sorte divina oblatas cum laude absolverit. Mirum dictu quanta alacritate ad publicum bonum promovendum excubaverit. Quicquid egit, seriò egit, præclaro quodam perficiendi impetu. Sententiam in Collegio Medico rogatus, paucis sed quibus pondus inerat, rerum momenta expendit. Nunquam verborum quæsivit lenocinia, nec sermones sesamo aut papavere adspersit, sine fuco & fallaciis, sine pompa ulla simplici oratione mentem cordatè aperuit. Et quod in illo excelluit, candore omnes mortales superavit, & seipsum. Plebeja illa exolevit virtus, & ad rus plurimorum calculis ableganda. Felicius tamen singulorum se fata explicarent, si intra domesticos urbis parietes admitteretur. Neminem ille fallere, & fallentes odisse. Cor in fronte gerebat, & pectus apertum, nullis dolis consutum aut fucatum, omnibus patebat. Nullius unquam famæ insidiabatur. Submisit se omnibus, tumque se maximum inter amicos existimavit, quum mi-

nimum

nimum de seipso sentiret, nihil sibi, cuncta aliis indulgens. Infra modestiam cætera, quibus gloriari poterat, reputabat. Animo invictus, damna iniquæ sanitatis Spartana nobilitate concoxit, nec ullis cessit voluptatibus, ut etiam castis amoribus licitisque nunquam ab ocio sapientis & animi tranquillitate, cui sacramentum dixit, potuerit dimoveri. Majum, nativitatis mensem, perpetuo coluit, quo Romani uxores non ducebant. Noluit libertatem suam incerto Venereo, &, si malè ceciderit, impotentiæ muliebri subjicere, quæ subinde domi devicta, in foro quoque, ut ille ait, obteritur & calcatur. Amavit *Hippocratem*, non uxorem *Hippocratis*, quæ semper quo modestè coerceretur opus habebat. Amore interim divinæ pulchritudinis rerumque à DEO creaturarum unicè captus, non damnavit conjugia, sed aliis reliquit, posteritatem suam in libris superfuturam ratus, memoriamque, quam tanti tamen non putavit, inter amicos & inculpatæ virtutis gloriam apud omnes duraturam. Secum habitare & vivere, DEO servire & amicis, inter maxima felicitatis dona numerabat. Fortunæ amplissimæ bona, pro suis non computans, quia peritura, cum iis patiebatur quos vel bona mens commendabat, vel socia paupertas urgebat. Benè precantur alumni, viduæ, Nosodochia, quibus in vitæ subsidium aliquot mille Coronatis prospexit. Optimè de Deo ipso meritus, cujus Ecclesiis ex suo patrimonio, ne migraturo hinc oneri esset, devotè legavit signati argenti summam, velut donarium sacris aris suspendendum. Ita officia cum amicis, bona cum egenis, utrumque cum Deo divisit, nihil pro suo venditans, nisi infractam vitiis mentem, recti conscientiam & animi constantiam, quam inter peregrinationum tædia, inter languidi corpusculi injurias, inter sæculi fatiscentis perversitatem, semper servavit integram. Hac animi beatitudine & virtutum satellitio; peritura omnia neglexit, frequensque cum Deo immortali commercium exercuit. Primus in templo visebatur & ultimus, & Numinis præcepta non ore tantum, sed, quod divinum, vita expressit. Immortalia quotidie meditabatur, & ad æternitatem se tacitè composuit. Minabatur a teneris unguiculis corpusculi imbecillitas, casu an ab interna origine, in vitales partes, respirationis difficultatem, quæ per complures annos pectori compresso inimica, crescente ætate, sed decrescentibus viribus, asthma molestum excitavit. Inclementiores hyemes binæ,

patriæ exitiosæ, pectori quoque illius tam fuerunt molestæ, ut arctatis animæ meatibus vix spiritum liberè duceret, quo tandem in patriæ urbis obsidione & publica calamitate; auctis injuriarum asthmatisque causis, sensim intercepto, anni currentis initio, ætatis verò XLV, inter mortales desiit esse mortalis. Nos tibi, beatissime FUIRENI, felicitatem, qua cum Patre & Fratre *Theodoro*, heu quondam nostris, in cœlo frueris, non invidemus, sed nostram infelicitatem deploramus, & tui memoriam colimus. Manent in animis nostris admirandæ dotes, inusitatæ virtutes, in publicum merita, incredibilis tuus in nos amor, & desiderium testamur. Virtutis omnis in Te vidimus exemplum, nec sequi possumus. Ignosce quæso, beatissima anima, quod parcius tua, nec pro dignitate satis expresserim. Vita tota, modestia fuit, nec laudari Te æquo animo es passus. & dum omnia animo complector, sub singulis hæret lingua, tuis colloquiis assueta. Quia verò pietatis meæ extare volui monumentum, si in singulis penna defecit, universa condonabis, & dolori justo tribues, quicquid meritis tuis decessit. Nos interim dum inter æterna sidera fulges, malis innumeris, quæ effugisti, succumbimus, seculi iniquitate, quam superasti, premimur, & fato, quod sprevisti, debemus ludibrium. Ego & hoc nomine infelicior, quod inter extrema tua ultimum Vale forte absenti non dixeris, quem in itineribus habuisti comitem, in studiis socium, in amicitia parem, ubique fratrem. DIXI.

DE D. FUIRENIO
In Urbis obsidione defuncto.

DUm Patriæ obsessos cingunt infensa penates,
Signa, per insolitas exitiosa vias;
Non potuit clausos urbis perferre recessus
Assuetus cœlo liberiore frui.
Mutat mente domos, urbisq; & pectoris orbem
Deserit, auxilio Numinis alta petens.
Sic licet hostiles includant mœnia turmæ,
Claudere nulla animos vis inimica potest.

De eodem circa anni initium denato.

IRatus vitiis perituro infensior ævo,
Fastidit nostros connumerare dies;

Anni principium nobis fecēre Calendæ,
Olli cui ſpirant ſecula finis erant.

TH. BARTHOLINUS. D.

EPITAPHIUM.

VIATOR. QUI. TRANSIS.
HENRICUM. FUIREN.
FAMILIÆ. DECUS.
SOLATIUM. ÆGRORUM.
NOBISCUM. DEPLORA. LACHRYMIS.
QUI.
LONGIS. ANNORUM. PEREGRINATIONUS.
ANIMO. SEMPER. QUIETUS.
VITA. EXPRESSIT. QUOD. FAMÆ. FUSA.
NOLUIT. ELOQUI.
CLARUS. ERUDITIONE. QUAM. OCCULTAVIT.
MODESTIA.
QVUM. NIHIL. OSTENTARET.
OMNIA. POSSEDIT.
VIRTUTEM. SOLAM. DISSIMULARE.
NESCIUS. ET. CANDOREM.
DUM. PATRIÆ. DUM. AMICIS. DUM. EGENIS.
VIXIT.
QVI. PER. ILLUM. SEMPER. VIVUNT.
DUM. MORITUR. PER. NATURAM.
PER. MERITA. VIVIT.
PER. DEUM. QVEM. COLUIT.
CUM. DEO. VIVIT. IN. ÆTERNITATE.
VIXIT. HACTENUS. INTER. MORTALES.
ANN. XLIV. MENS. VII. DIE. X.
PERPETUA. APUD. PLURES.
FAMA. SUPERSTES.
ABI. VIATOR.
ET.
MORTUO. LEGEM.
QVÆ. VIVO. GRAVIS.
PRECARE. TERRAM.
POS.
D. Th. BARTH.

SCRI-

SCRIPTA.

De Ascite: *Basileæ* 1645. in 8.
Catalogus Bibliothecæ Henrici Fuiren, editus à Fratre Thoma Fuiren: *Hafniæ* 1660. in 4.
Rariora Musæi Henrici Fuiren ab eodem edita: *ibid.* 1663. in 4.

MONUMENTUM LITERARUM
Viro Nobili, Excellentiss. ac Experientissimo

DN. GEORGIO KIRSTENIO,

Medicinarum Doctori, Pædagogii Regii Prof. & Pract. apud Stetinenses famigerabili,

Ad diem 11. *Martij Anno* χελιοτογονίας M DC LX.
Condigno exequiarum honore mactando,
Cum invitatione
STUDIOSÆ GYMNASII NOSTRI JUVENTUTIS
Ut decenti ordine funus comitatum prodeant
Constitutum
ab
HENRICO SCHÆVIO, M.D.

INcidebamus, Juvenes dilecti, his diebus inter frugales summi Viri epulas in hoc sive Philosophema sive querelam: quid intendat DEUS & Natura quod infiniti prope homines nascantur, qui fatis concedunt prius quam vel per ætatis infantiam se suaque agnoscunt, vel ingentis laboris, cui per vitam omnem se manciparunt, operæ pretium referunt: & ecce commodum se offert scævi augurij rumor, indicitque eximium inter nos Medicum ac Professorem GEORGIUM KIRSTENIUM insigne urbis & Lycei nostri ornamentum è vivis emigrasse. Nihil luculen-

tius ad problema nostrum firmandum, nihil ad incerta casuum nostrorum comprobandum promptius. Certe Medicus, non quales se jactant rasores, vetulæ, fornacarij, sed qui publica artis & doctrinæ tropæa varie erexit, quiq; armatam morbis ac morti dexteram tam feliciter opposuit, ut & feriis latrinæ cultoribus de gravissimis casuum respondere, & decumbentibus amplam salutis spem de se prodere possit, venerandam scientiam non in molli lecto invenit, sed inter ingentes vivacis ingenij contentiones, vigiles lucubrationes, difficiles peregrinationes, obscœnas nauseas, tetros odores, abominabiles morosorum ægrorum squalores, deliras anicularum interpellationes, sinistros malevolorum rumores ad laudis & honoris sui culmen provectus est. Ita omne eruditionis latifundium ad Medicos pertinet, ut, quæ in omni scientiarum genere primas sibi vendicant, ab iis, non saltem ut ornamentum, sed velut necessarium requisitum, exigantur. Prætervehor variarum linguarum ad intelligendos artifices, qui in suo passim idiomate ingenij monumenta reliquerunt, cognitionem. Quid vero iis ita familiare esse debet quam quæ solæ scientiarum nomine veniunt Physiologia & divina Mathesis? Quot sylvas, prata, montes, dumeta perreptant priusquam in stirpium ac terra nascentium immensam varietatem intromittantur? Quot lanienas & cadaverum confectiones aggrediuntur, ut partium humani corporis munia, situs, nexus & conformationes ut suos ungues teneant? Quanta assiduitate Pharmacopœorum officinas frequentare debent, ut mineralium, succorum, resinarum, cæterorumque primorum, & velut elementarium, facies, patriam & bonitates, per signa sua characteristica & gentilitias notas à spuriis, suppotititiis & exoletis internoscant? His vero omnibus pertinaci studio imbibitis, non callent ulterius quam ubi pueruli literarum nomina & picturas complexi. Tunc primum in virtutes ac idiomata eorum, qualitates primas, secundas, tertias & amplius, manifestas & occultas, earumque gradus, mansiones, latitudines altius inquirendum. Hinc infinitæ commistiones, συγχύσεις præcipitationes, sublimationes, reverberationes aliaque sexcenta molimina, ut fiant catapotia, malagmata, eclegmata, spanadrapi, pessi, dropaces, errhina, ptarmica, marmeladæ, panchresta, & quæ porro sunt horrenda nomina horrendis humani generis invasoribus opponenda. Verum

n hil

nihil adhuc actum, quando de ipsis morborum phalangis deque variis eorum nomenclaturis, natalitiis, moribus, incessu ac comitatu, quibus item indiciis à se invicem discriminentur immane quantum indagare ac perdiscere restat. Quorsum autem & illa? si non ad omnem hostium istorum occursum, modi, tempora, occasiones, ac vices armorum, quibus apte iis resisti possit, ita teneantur, ut non modo nociva tela averruncari, sed & de conflictus eventu & ancipiti vitæ mortisque alea velut quodam augurio definitum quicquam prænunciari possit. An non vero hæc & multa alia, instar liberalis episagmatis & mantissæ, in Defuncto nostro ultra vulgarem mensuram præluxerint, & annon inde senectâ Hippocraticâ, quam vegetum ad annum ætatis centesimum sexagesimum nonum deposuisse perhibent, dignus fuisset, ex ipsa vitæ ejus historia dispiciemus. Ingressus in hanc scenam est Stedini Pomeranorum Anno appropinquantis Salutis M. DC. XIII. die Januarii vicesimo, Patre Viro Integerrimo NICOLAO KIRSTENIO, pistorum ac dulciariorum Protostatæ & Ducibus Pomeraniæ à panificio, Matre fœmina piissima ANNA Löfflers. Cumque sub ipsa pueritiæ teneritate parentibus ab erecta indole spem haud macram ostentaret, nihil ad ejus cultum non tentandum duxerunt. Traditus igitur primo fuit in disciplinam domesticam Dn. Andreæ Virginio hoc tempore SS. Theologiæ D. & Episcopo Revaliensi: cujus fidelem operam publica in Schola hac oppidana informatio, sub moderamine virorum celeberrimorum M. Loleji, & deinde D. Micrælii, excepit. Ejus suasu, cum à sufficientibus primæ literaturæ rudimentis instructus esset, Illustre Hallensium Gymnasium, cui tunc præerat Clarissimus Gveintzius, adiit, tanto cum studiorum emolumento, ut non modo Præceptorum amorem, sed & familiaritatem ad se traduxerit. His authoribus anno ætatis decimo septimo Academiam Lipsiensem accedere debuit: sed obstiterunt copiarum militarium discursiones, coëuntibus tunc in fœdera nonnullis Germaniæ Ducibus. Declinavit igitur Jena, & lustratis quæ interveniebant celebrioribus quibusdam urbibus, Argentoratum amplexus est, ubi per quatuor solidos annos duravit. Non alia sedes Viris in omni eruditionis pulvere versatissimis abundantior, nec ardentibus Defuncti desideriis accommodatior. In quovis disciplinarum genere generosos sibi

duces eligebat, à quorum ore & latere individuus pendebat. In Philosophia, non jejuna illa & in vocularum Labyrinthis laborante, sed seria & quæ pectus exsaturat, facem præferebat Clarissimus Danhawerus: Medicinæ splendorem de se largiebantur Sebizius, Saltzmannus & Karstadius Stetinensis, qui cum ingenium Defuncti ad amplissimam artem, complectendum satis amplum deprehenderent, non destiterunt eum officiis & benefactis provocare, quoad in suas partes eum pertraxissent. Ille mox tantis patronis se dignum præbuit, & præter alia solertiæ documenta bis de cathedra accurata theses semel de Lactatione & Lactis generatione deinde de Vulneribus capitis publice defendit & auditorio satisfecit. Interim dum ibi civem ageret, ad vicinam Academiam Tubingensem cum Dn. D. Ludemanno & M. Scheningio digressus notitiam præclarorum Virorum, qui ibi degebant, sibi conquisivit. Sed mox ferale nuncium de obitu patris eum ita perculit, ut rerum suarum penderet. Reddidit tamen ipsi animum maternum auxilium, quod ei providæ patris curæ, ne nobiles charissimi filij conatus interciderent, per novissima destinaverant. Quæsivit igitur alteram Argentinam eamque Lugduni Batavorum invenit, Viris Clarissimis Dn. D. Thabore & Dnn. Oesleris Stetinensibus iter ipsius stipantibus. Per sesquiannum ibi egerat, cum fatale pestilentia malum excedere inde colonos juberet. Hiemavit igitur Franeckeræ & Groningæ, ubi Freitagium & Antonium Matthæi familiares & rebus suis insigniter proficuos expertus est. Sub ineuntem æstatem inaugurationi Academiæ Ultrajectanæ interfuit. Inde Lugdunum reversus felicem studiorum telam pertexuit D. Stypmanno & Beringio commensalibus, hoc etiam contubernali: Antecessoribus viris illustris doctrinæ Schrevelio, Heurnio, Falckenburgio, Walæo & Vorstio, sub quo tantos in Botanico studio progressus fecit, ut multis admirationi fuerit. Geminas ibi Disputationes auspiciis Walæi in publico habuit, alteram de symptomatibus visus & auditus; de olfactus & tactus alteram. Constituerat postquam quinquennium ibi absolvisset & viciniores Belgij provincias lustrasset, cæteras quoque regiones inspectare; sed revocavit ipsum per literas à proposito Dn. Christoph. Albinus Medic. D. & Practicus Stetinensis celeberrimus, suasitque ut Axioma in arte Medica summum ibi caperet. Secutus fuit Viri amicissimi consilium, affixa

solenni

ſolenni Diſputatione de generatione lumbricorum in corpore humano, quam ſuo Marte & citra alterius præſidium tanto omnium applauſu defendit, ut jam ad inſignem famam gradum ſibi conderet. Jam ipſi ad docendum aperiebatur cathedra in Academia Gryphica, ſed præcludebat ipſi ingreſſum inauſpicata tempeſtas quæ tunc ſeculum concutiebat. Emanabat per eadem tempora de ejus eruditione celebratio Dorpatum, quo ad ſucceſſionem Dn. D. Belovij vocabatur: ſed bellum Sveco-Danicum eum & hoc propoſito excludebat. Nec defuiſſent aliæ viæ quibus ſe publico probaret; verum matris precibus ceſſit ut in loco ſubſiſteret, & gratia ac favore Illuſtriſſimi Herois ac Cancellarij Regni Svecici Axelii Oxenſtiernæ, in cujus laudes & virtutes concinnum carmen ad typos dedit, ad Profeſſionem Medicam in Pædagogio Regio aſpiraret. Obtinuit haud difficulter quod honeſte ambierat, & juſſu Sereniſſ. Svecorum Reginæ Chriſtinæ Spartæ illi datus eſt, non ſine inſigni juventutis noſtræ fructu. Quicquid ad ſalutaris ſtudij emolumenta faciebat per prælectiones Phyſicas, Medicas, Anthropologicas, Anatomicas, Botanicas, nec non Diſquiſitiones Phytologicas, quarum pars lucem publicam vidit, pars per deſidiam auditorum ſuppreſſa eſt, fideli manu porrexit. Præter hæc operam ſuam ægris tanta fide contulit, ut jam ad ipſius exceſſum multa urbis pars lacrymis ac ſuſpiriis ei parentet. Quantum ego de cæteris ejus dotibus judico, neſcio an non inter paucos

Quos melior reſpexit in arbore Phœbus

velut quidam choragus ac Triarius eminuerit. Quis ipſo ingenioſiora & quæ antiquitatis gratiam magis referebant tornabat carmina? Cui purior ab ore aut calamo fluebat dictio? Quis de omni elegantiliteratura, quæ apud defæcatiora ingenia tantum diverti conſuevit, accuratius ac tempeſtivius reſpondebat? Viva quædam ac ambulans bibliotheca erat, tam divite penu pectus diſtenderat. Cum vero mortalem ſe ſuaque intelligeret, de extendenda ad poſteros ſuos virtute cogitavit, atque eo etiam fine ante octo annos maritale fœdus junxit cum pudiciſſima ac honeſtiſſima Virgine Eliſabetha, Dn. Chriſtiani Röchlini, civis ac mercatoris Prentzlovienſis primarii filia, ex qua gemina profecit ſobole, præmiſſaque ante annum filiola, ſolum filium à paterna conſilio jam, proh dolor! deſertum deſtituit. Nimium illa ſcire videtur quantam jacturam fecerit,

ille felicior qui nondum novit computare sua detrimenta. Ad ipsos potissimum pertineret hic inquirere quid sibi velit DEUS T.Opt.M. quod virum domui suæ, urbi atque publico ita, salutarem in ipsa dierum suarum æstate subtraxerit. Sed quid sumus miseri? cui litigamus? cui dicam scribimus? Stat pro ratione voluntas sed paterna, sed optima, sed rebus nostris faventissima. Si ergo vivimus gratia est, si morimur beneficium. Quandiu supersumus gratulemur nobis quod digni habemur in vinea Domini laborare: evocamur? applaudamus dimissioni gratiosissimæ. Talem se gessit Defunctus. Dum in his castris militavit hoc agebat: cum exauctorandus esset, hoc solum voluisse visus est. Cum enim anno abhinc nono ex acutissimo morbo morti jam naulum numeraret, cumque nuperrime sub initium mensis elapsi difficili affectu scorbutico tentaretur, non abjecit jugum, sed conformavit se ejus arbitrio à quo meliorem vitam exspectabat. In illam igitur translatus est die Mart. 4. hora 11. meridiana. arduo hoc evibrato Epiphonemate JUVA ô JESU! cum quintam septimanam quadragesimo anno adjecisset. Jam vos appello, Juvenes nostri, ut vobis & deserræ domui collugeatis, utque nobiscum æstimetis non temere factum quòd illud sapientiæ & eruditionis fanum quod Celsissimorum Ducum pietas erexit, quodque Regalis gratia subinde recreavit, intra menses sexdecim duobus insignibus fulmentis Micrælio ac Kirstenio dispoliatum sit. Quis non videt quam in prono sit lapsus? Vos modo quod debetis, quodque saltem potestis, Viro incomparabili novissima exequiarum officia exequimini. Valete.

SCRIPTA.

Oratio de Medicinæ dignitate & præstantia contra Platonem & Plinium: *Stetini* 1647. in 4.

Disquisitiones Phytologicæ: *ibid.* in 4.

Adversaria & Animadversiones in Johann. Agricolæ commentaria in Poppium & Chirurgiam parvam: *ibid.* 1648. in 4.

Disputationes aliquot publicè habuit, nempe de Lactatione & lactis generatione: De Vulneribus capitis: De Symptomatibus visus & auditus: De Symptomatibus olfactus & tactus: De Generatione, &c.

PRO-

PROGRAMMA
Ad Funus
Nobilissimi, Amplissimi & Experientissimi Viri,

D. CHRISTIANI LANGII,

Philos. & Medic. Doctoris celeberrimi, Pathologices in Acad. Lipsiensi Professoris meritissimi & primarij, Collegij Principum Majoris Collegiati, & Academiæ Decem-Viri longè dignissimi, Practici dexterrimi & famigeratissimi,

Decenti Comitatu prosequendum,

CIVES ACADEMICOS ORDINUM ac Dignitatum omnium invitat

RECTOR ACAD. LIPSIENSIS.

UT singulari GRATIOSORUM titulo præ Facultatum reliquarum Doctoribus gaudent Medici: Sic chariùs habendi & existimandi, nec non ipsorum jactura ferenda est acerbiùs. Unde titulus hic natus, Philologi manus, quod dicitur, non jungunt amicas. Sunt, qui ab Apollinis effigie, quam dextrâ Charites, sinistrâ sagittas tenentem pingunt, quòd ad juvandum, quàm ad nocendum sit promptior, petitum volunt: sunt, qui à Philosopho Medicorum familiæ natales debente, Medicos τῶν χαριέντων epitheto (ut in Ethicis eximios & selectiores in genere humano τὸς χαρίεντας vocat) salutante arcessunt. Quicquid sit, sive titulus hic activè, sive passivè spectetur, in Medicos optimè quadrat. Si enim λῷστον ὑγιαίνειν, ita, ut pro redimenda vita bonorum omnium jacturam faciat homo, gratiam certè non exiguam præstat, qui

ſanitatem vel conſervat, vel amiſſam recuperat, & vitam prolongat. Quæ ratio eſt, quòd Medicina χεὶρ τοῦ Θεοῦ, ſemetipſum Iſraëlis Medicum nuncupantis, & Medicus ἰσόθεος appelletur. Fortean, quòd Apollo cum ſua familia Æſculapio filio & Podalirio nepote Deorum numero fuerint aſſociati, ex eodem gratiæ fonte promanat. Nec unius duntaxat nationis calculo & ſuffragio, ſed omnium, aut præcipuarum, Hebrææ, Græcæ, Arabum; nec heri, aut nudius tertius, ſed ab omni ævo Medicis hæc ἐξοχὴ fuit delata. Homerus certè Scriptor antiquiſſimus, imò eruditionis omnis Oceanus jam ſub prima Monarchia Medicum πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων vocat: ipſæ verò medicamentorum formulæ antiquitus in templis, velut anathemata quædam, ſuſpendebantur, ex quibus Hippocrates magno generis humani commodo, priusquam Epidaurii templum cremaretur, deſcripſit, in ordinem redegit & auxit. Quia verò ſecundum proverbium χάρις χάριν τίκτει, pro tantis beneficiis his Evergetis gratia multa debetur, ipſorumque privatio non ſine cordolio inſigni eſt ferenda. Idipſum ex inſperato Viri, dum in vivis erat, Ampliſſimi, Nobiliſſimi, Experientiſſimi Dn. CHRISTIANI LANGII, junioris, utriusque Medicinæ Doctoris celeberrimi, Pathologices in hac Academia Prof. meritiſſimi, Collegij Principum majoris Collegiati & Academiæ Decem-Viri longè digniſſimi, Practici dexterrimi & famigeratiſſimi obitu Academia, urbs & honoratiſſima familia impræſentiarum ſentiunt. Ut enim Academia lumen & columen: ita urbs Evergetam gratioſum, familia honoratiſſima ornamentum & firmamentum Viri hujus deſideratiſſimi obitu amiſit. Leniùs etiam jacturam hanc forſan ferrent, niſi præter omnium expectationem, cùm ante triduum adhuc jucundâ ipſius converſatione uterentur, fuiſſet accelerata. Sed digito labellum compeſcentes in divina voluntate acquieſcamus, & potius beatiſſimo Dn. Collegæ & amico de ſuperatis vitæ hujus concatenatis miſeriis omnibus, & permutatione incomparabili gratulemur, gratæ ipſius memoriæ ſtudeamus, & ad ſequelam, vocante Domino, nos comparemus. Quod verò mortale nobis reliquit, horis pomeridianis dormitorio ſuo ſpe lætæ reſurrectionis inferemus, & ultimum humanitatis officium pro more perſoluturi vitæ curſum εὐσχημόνως & decenter peractum (cujus gratia concivis Hippocratis Cous, Apelles de penicillo ſuo compellandus eſſet)

hic

hic adscribemus, & templo Mnemosynes consecrabimus. Si natalium splendor lucis aliquid fœnerare potest postgenitis, Beatissimus noster LANGIUS ortum debuit Parenti, quem adhuc omnes, aut plerique novimus, Viro Admodum Reverendo, Magnifico, Amplissimo & Excellentissimo Domino CHRISTIANO LANGIO, SS. Theol. Doctori celeberrimo, & ejusdem P. Publ. primario, Facult. Theol. & Nationis Misnicæ Seniori, Ecclesiæ Cathedralis ingenuæ Misnensis Decano, Collegii majoris Collegiato, Acad. Decemviro, Consist. Ecclesiastici Assessori, ad D. Thomæ Pastori, Ecclesiæ Lipsiensis & vicinarum Superintendenti, de Collegiis omnibus, quorum pars fuit, meritissimo: Matri sui sexus ornamento & integritatis exemplari amussitato CATHARINÆ, Viri Perquam Reverendi, Clarissimi & Excellentissimi Dn. M. JOHANNIS FEILERI, Pastoris & Superintendentis Pegaviensis meritiss. p. m. filiæ, quam in ætate adhuc tenella, cùm istius adhuc maximè fuisset indigus, per mortem immaturam amisit, vel potius ad æterna gaudia præmisit. Ab his parentibus optimis Luccaviæ anno seculi currentis 19. septimo Id. Maji in lucem prognatus, utque CHRISTO & Ecclesiæ concorpor fieret, ad παλιγγενεσίας lavacrum statim fuit promotus. Post præcepta catechetica, & pietatis fundamenta, fidis, doctis, & indefessis in officio Præceptoribus, utpote Dn. M. TOBIÆ PETERMANNO, Scholæ Pirnensis Rectori benè merentissimo, in vivis etiamnum existenti, & Professori deinde Organi Aristotelici laudatissimo Dn M. HIERONYMO RECKLEBIO bonis literis & artibus, nec non elementis Philosophicis imbuendus fuit commissus, sub quorum etiam χειραγωγίᾳ sic profecit, ut in studiorum suorum cursu frænis potius, quàm calcaribus opus haberet. Ex quo suopte Marte in ambulacris Philosophicis ea fecit spacia, ut anno seculi hujus 36. ætatis 17. primitias honorum Philosophicorum ὁμοψηφίᾳ Præceptorum suorum consequeretur. Ad uberiorem verò cultum in studiis humanioribus consequendum, anno adhuc eodem currente 36. Wittebergam inspectioni Dn. M. MARTINI CASELII, Fac. Philos. Assessoris, postmodum SS. Theol. Doctoris, & Superintend. in Ducatu vicino Altenburgico Generalis commissus de Consilio Dn. Parentis sese contulit, ubi pendens ab ore hujus sui Præceptoris, ut & Virorum inter eruditos luminum Clarissimorum Dn. AU-

GUSTI BUCHNERI & Dn. JOHANNIS SPERLINGII, Prof.P. luculenta & in studiis Philosophicis & Philologicis sensit incrementa, ut redux in Patriam anno labentis seculi 38. ætatis 19. supremum in Philosophia gradum applausu bonorum omnium, inprimis congratulatione Dn. Parentis adipisceretur. Quia verò studio Medico dudum consecratus, à Domino D. ANTHONIO CRÖSIO, Chimiatro celeberrimo, cujus Wittebergæ fuit σύσιτος, in Chimiâ colorem non exiguum duxerat, à contubernali verò Domino AUGUSTO HAUPTMANNO, jam utriusque Medicinæ Doctore ac Practico felicissimo stimulum sibi addi senserat, in hoc studio perrexit, & ad pedes Nobilissimi & Amplissimi Viri Dn. JOHANN. MICHAELIS, in Bendorff hæreditarii, Philos. & Medicinæ Doctoris celeberrimi, Chimiatri decantatissimi, Archiatri Altenburgici, Prof. Therapeutices & Facult. Medicæ Decani meritissimi, utriusque Collegii Collegiati & Acad. Decem-Viri, &c sedens eos in studio Medico, inprimis Chimico progressus fecit, ut habita de vertigine disputatione publicâ, Baccalaureatus titulo in studio Medico anno 40. ætatis 22, condecoraretur. Ex hoc consensu Domini Parentis, ut ex conversatione cum Viris celebribus, etiam in aliis locis remotioribus eruditioni suæ Medicæ indies adjiceret, solum mutavit, & in Italiam per Bohemiam, Moraviam, Austriam & Stiriam excursiones fecit. Mari Adriatico non sine naufragii periculo superato, Venetias appulit, inde Patavium, celeberrimam illam studiorum Medicorum Matrem, accessit, ubi per integrum annum Professoribus Medicis adhæsit. Cumprimis autem singulari favore τῶν μακαρίτων complexi fuerunt BENEDICT. SYLVATICUS, DOMINICUS SALA, JOHANNES VESLINGIUS, ANTONIUS FRISIMELICA & PETRUS MARCHETTI Medici, Anatomici & Chirurgi consummatissimi, quorum praxi, consultationibus, publicis sectionibus & raris operationibus familiariter interfuit. Nec studiis sinceram navare operam τῷ ἐν εὐλογίᾳ nostro sufficiebat, sed publicis etiam muneribus ab Artistarum inclyta Natione Germanica, quæ primitus in Procuratorem, mox Bibliothecarium, atque Bohemorum Consiliarium eum legit, honorabatur. Spartam hanc per integrum semestre assiduo cultu exornavit, sicut in absentia Universitatis istius Pro-Rectoris atque Syndici, nec

non Germanorum Conſiliarii vices eorum aliquoties ſuſtinuit, atque bis pariter ad Sereniſſ. Venetorum Ducem & Illuſtriſſimos iſtius Dominii Procuratores ad impetrandum Nationi Germanicæ commodum & abſolutæ prioritatis autoritatem, quam etiam applauſu Sympatriotarum obtinuit, delegatus fuit. Tempore ſucceſſivo urbes circumjacentes, præſertim in Inſubria, Vicentiam, Veronam, Bergamum, Mediolanum, Ticinum, Parmam, Cremonam, Mantuam & alias perluſtravit. Exinde meditullium Italiæ cis & trans Appenium adiit, & Ferraræ, Bononiæ, Anconæ, Lorettæ, Romæ, Neapoli, ubi Chirurgo & Anatomico magni nominis Dn. MARCO AURELIO SEVERINO innotuit, temporis aliquid dedit. Romæ per bimeſtre ſpacium commoratus, antiquitates & viſu digniſſima, Bibliothecam præcipuè Vaticanam, oculis & mente perluſtravit. In diſceſſu ex Italia Senenſem ac Piſanam Academias, Florentiam, Liburnum & Genuam ſalutavit, cumque per mare Liguſticum tum temporis non liceret, per Alpes & Sabaudiam non ſine periculo in Galliam & quidem Montem Peſſulanum iter inſtituit. Favoris ibidem vadum ap. Medicos fama illuſtres Dn. SIMON. CURTANDUM, Facult. Medicæ Decanum, LAZARUM RIVERIUM & alios tentavit. Per Lugdunum & Araris & Rhodani confluxum ſitam, Aureliam, Lutetiam pariſiorum, Rupellas & fretum Anglicanum in Britanniam magnam venit, & viſâ ibidem metropoli Londino, ut & Oxonienſi Academiâ, per provincias Belgicas Hamburgum & inde Lipſiam bonis vialibus fuit reverſus. Hîc recens, præmiſſis præmittendis, lectione curſoriâ, diſputatione de catarrho & examine rigoroſo Licentiam in ſtudio Medico anno 23. χειροτονίᾳ Præceptorum impetravit. Præviâ verò denominatione Ampliſſimæ Facultatis Medicæ ſubjectiſſima, Profeſſor Phyſiologus à Sereniſſimo atque Potentiſſimo Sax. Electore JOHANNE GEORGIO I. glor. recordationis clementiſſimè confirmatus anno proximè ſeq. 44 non ſine Dn. Parentis, jam fructus educationis & ſumptuum ſpe præcipientis, exultatione inſignia Doctoralia, ſupremum honorum apicem in ſtudio Medico, cum laude obtinuit. Profeſſionem Phyſiologicam anno 47. Anatomica & Chirurgica tandemque anno 54. Pathologica, cui Collegiatura in Collegio Princ. majore annexa eſt,

excepit

excepit. Dignitates ſtatas etiam ambulatoriæ, ut Rectoratus an. 1655. Procancellariatus eodem anno, Compromotoris officium anno 53. fuere comitatæ, quibus tandem Decemviratus an. 58. colophonem impoſuit. Has ſibi demandatas provincias, publicè privatimque prælegendo, diſputando, cadavera ſecando, Chymicis operationibus vacando, & quibuscunque tandem modis ſtudioſam juventutem informando ita obiit, ut Magiſtratui Sereniſſimo fidem, Academiæ & Facultati Medicæ induſtriam probaret, apud omnes verò bonos, inprimis diſcipulos, quorum nonnulli Doctoralibus honoribus inſigniti ex ipſius ſcholis prodierunt, acerbum ſui deſiderium jam relinquat. Auxilia verò mutua, in vita præſertim privata, neceſſaria ſentiens, præmiſſis ardentibus precibus fidem Conjugalem anno 54. Virgini raræ pietatis & edecumatæ virtutis, ANNÆ MARIÆ, Viri Ampliſſ. & Experientiſſimi Dn. PAULI MACASII, Phil. & Med. Doctoris celeberrimi & Practici nominatiſſimi filiæ dedit, cum qua in utraque fortuna commune jugum tam ſuaviter traxit, ut licet pignoribus lectus conjugalis deſtitueretur, ipſimet tamen amabiliſſimi conjuges vel oculorum ictus & nictus conformando ſincerum amorem ſatis invicem conteſſeraverint. Quanto itaque cum luctu διχοτομία hæc unius animæ in duobus corporibus latentis facta fuerit, rem altiùs perpendentibus conjectu non erit difficile. In vita reliqua Chriſtianum egit bonum, fidem ſuam non foliis ficulnibus, ſed fructibus declarans. Ab auditu verbi divini, viribus licet infirmus, ægrè avellebatur, lectione ac meditatione S. literarum, ut & crebro myſteriorum uſu fidem ſuam nutriebat, cum Collegis & quibusvis hominibus facilis condeſcendebat, imprimis Dn. Parenti & Novercæ honore debito aſſurgebat, ut ſenectutis paternæ firmamentum, quo nitebatur, audiret. Quia vero Chriſtianorum teſſera crux eſt, hic Chriſtianus ſui ſimilis, id eſt, Crucianus eſſe debeat. Præterquam enim quod adverſitatum variarum in hac vita non fuerit ἄγευστος, hoc tandem mali ante decennium circiter accedebat, quod Dn. Affini ſuo ex cœna veſpertina domum repetenti comes à graſſatoribus quibusdam nocturnis lethaliter vulneratus in integrum reſtitui non potuerit. Quæ cauſa etiam fuit, quod nudius ſextus proximo Solis die cùm doloribus nephriticis, & malo hypochondriaco infeſtaretur, licet medicamenta precioſiſſima opponeret, ita viribus

ſtatim

ſtatim fractus fuerit, ut de reconvaleſcentia deſperaverit. Quare non niſi beatam analyſin deſiderans domui ſuæ diſpoſuit, & ἐφοδίῳ ſacro ad beatam ex corporis ergaſtulo emigrationem inſtructus ad excipiendum bonum ſuum Dominum ſtetit in procinctu. Hic ipſe, ſolutis mortis doloribus, ſequenti die Lunæ circa undecimam antemeridianam τὴν ἐν εὐφημίᾳ noſtrum, integro rationis uſu & fide non titubante, annos 42. cum dodrante & paulo amplius in hoc theatro mundano perſonâ ſuâ probè functum, terrenis fecibus exemit, cœloque adſcripſit. Sic parvo momento maxima rerum momenta vertuntur. Quem ante octiduum his ipſis horis nobis aſſidentem vidimus, illi jam ſupremum honorem perſolvimus. Sed benè Te, beate LANGI, qui talento divinitus conceſſo multum lucratus, jam ingreſſus es gaudia DOMINI tui, & hanc lachrymarum vallem cum vita, quæ nec temporum metis, nec felicitatis modo deſcribitur, permutaſti. Nobis quidem triſte tui deſiderium, ſed famam nominis ſempiternam, ceu fragrans unguentum, poſteritati reliquiſti, Exuvias, Spir. S. domicilium Terræ Matri depoſitum credemus, & ad ſequelam, quo tempore, vel ordine quemque vocaverit Dominus, tibi jungendi nos componemus. Quia verò exequiis dicta eſt hora tertia, noſtros, ut ad declarandam erga familiam honoratiſſimam ſuam συμπάθειαν & erga piè defunctum gratitudinem, frequentes nobiſcum in funus procedant, his ipſis jubemus. P. P. V. Cal. April. anno M. DC. LXII.

EPITAPHIUM.

D. O. M. S.
LEGE. VIATOR. AC. LUGE.
CONDITUR. HIC. CORPUS.
ANIMUM. ENIM. NEC. TOTUM. UNIVERSUM.
CONTINERE. POTERAT.
VIRI. NOSTR. TEMPOR. VERE. HIPPOCR.
CHRISTIANI. LANGI.
LUCCENS. PHILOS. ET. MEDIC. DOCT. ET. IN.
HAC. UNIVERS. PER. XIIX. ANN. PROF. P.
FACULT. MED. SEN. COLLEGI. MAJ. PRINC.
COLL. ACAD. XVIR. CHYMIATRI. ET.
PRACT. NOMINATISSIMI.
FELICISSIMI.

QUI.

QUI.
IN. OPT. FAMÆ. AC. ÆTATIS. FLORE.
SUMMO. BONORUM. DESIDER. INTER.
CONJUGIS. AMPLEXUS. ET. PIENTISSIMA.
SUSPIRIA. QUI CE. HAB. MORTAL.
PLACIDE. PIEQUE. DEPOSUIT.
XIV. MARTII. A. E. C. cIↃ IↃc LXII.
ANNUM. AGENS. XLIII.
CONJUX. MOESTISSIMA.
ANNA. MARIA. MACASIA.
CONJUGI. DESIDERATISSIMO.
H. M. F. F.

SCRIPTA.

De Thermis Carolinis: *Lipsiæ* 1653. in 4.
Miſcellanea Curioſa Medica: *ibid.* 1666. in 4.
De Acidulis Egranis: *ibid.* 1651. in 4.
De genio Thermarum: *ibid.* in 4.
Diſputationes publicè habuit non adeò paucas, è quibus ſunt: De Morbo caſtrenſi ſeu Hungarico: De Morbillis: De Elexir Proprietatibus, & dubio procul plures, quas jam ignoramus.

JOHANNIS ANTONIDÆ
VAN DER LINDEN,
IN V. CL.

ADOLFI VORSTII,

Medicinæ & Botanices Profeſſoris
Primarij,
EXCESSUM
ORATIO FUNEBRIS.

Habita XVI. Octobris cIↃ IↃc LXIII.

MAgnifice Rector; Nobiliſſimi, &c. Reddidimus terræ, quod ex terra erat ADOLFI VORSTII, Summi Viri,

Viri, & Collegæ optimi. Cujus cùm tot & tanta in hanc Academiam, ejusque tantum non Professorum singulos, certè me sunt merita, quanta exspectari ab ullius prudentia, benevolentia, atque amicitia queunt, sanè indecorum esset, in publica tot illustrium Virorum & florentissimæ juventutis panegyri non celebrari memoriam Viri, cujus eruditio atque virtus omninò æternum & numquam deinceps sine justa laude loquendum meruere nomen.

Novistis, inde ab antiquis obtinuisse, ut Clarorum Virorum laudes in funeris solennitate dicantur, atque hoc eorum posteritati detur, ut, quomodo exsequiis à promiscua sepultura separantur, ita in traditione Supremorum accipiant habeantque propriam memoriam.

Majorum hoc institutum est, & omnibus omnium, quotquot uspiam Christianum intra orbem sunt, illustrium Scholarum exemplis confirmatum, & ad propagandam virtutem, simul & celebrandam DEI gloriam vel inprimis comparatum.

Interest enim bonarum mentium, exemplar habere, ad quod se deforment atque instruant iis, per quæ non tantùm honestum est ad familiæ suæ decus atque ornamentum grassari, sed & honorificum maximeque laudandum ad Reipublicæ salutem & Ecclesiæ ædificationem eniti. Interest, inquam, scire, ad quid se maxima ingenia à teneris unguiculis applicuerint; quem tramitem sint ad bonum humani generis quærendum sectati; quo studio, quâ Diligentiâ in optima quæque incubuerint; quâ fide, quâ probitate, quâ sinceritate egerint, atque in officio quisque suo versati fuerint, quibusque laboribus functi, ut viam aliis ad conspicua ad perpetuæ laudis aperirent.

Neque verò inter minima eorum est, quæ ad celebrationem Divinæ gratiæ contendunt, agnoscere & laudare eos, per quos derivari DEUS sua ad nos dona voluit. Quin & inter præmia, quæ viris honestis & licet exspectare & deberi fatemur omnes, laus est & benigna posterorum memoria. Nam, hac sublata, cur facere homines laudanda velint, nihil superest apud homines.

Taceo, quod desiderabilem posterit, memoriam spectanti

necesse est ita agere, ita vivere, ut amore, honore, laude dignus agnoscatur, longeque absit ab ignavia, iisque omnibus, quæ vel specie sua dedecorare aliquem possunt. Taceo, quod laudari a Collegis cupienti tacitè injungatur lex amandi collegas, & eos, etiam vivos, non fraudandi suis honoribus, à quibus omnes flagitant, ut testimonium defunctis Collegis perhibeant, & bene de iis loquantur. Fateor, humanum esse, imo pium, ut de mortuis nihil nisi bonum. Qui ergo nihil boni, certè bono consilio non agunt, nihilque post se ex vero laudandum atq; commendandum relinquunt, si meminisse eorum &, quæ fecerint, modestè apud alios ceu fugienda memorare non licet, æterno prorsus silentio, veluti pecora, sunt involvendi. Videmus tamen Sacram Scripturam etiam summorum in populo DEI Virorum malefacta nobis ob oculos posuisse, ut, quæ DEO displicent, & propter quæ sua in omnem carnem exercet judicia, intelligeremus, ac Serio studioque disceremus paria in nos aut majora etiam non arcessere. DEO laus, quod talis mihi Vir laudandus obtigerit, de quo nihil non optimum bonus, nihilque mali dicere vel pessimus potest.

Quam igitur ita divina voluntate evenerit, ut τῷ μακαρίτῃ superstes essem, eique, ut loco proximus atque officio conjunctus, existerem virtutum & eruditionis laborumque præclarorum testis, non possum non mihi gratulari, quod Amplissimus Academiæ Senatus judicaverit adesse mihi & benevolentiam ut velim, & facultatem ut possim hoc honoris atque amoris omnium officium ei hoc è loco præstare. Quamvis enim probè mihi constet, esse eximios in nostro ordine Viros, tum ab Eloquentia tum à familiari τοῦ μακαρίτου notitia longè me instructiores ad hanc laudationem peragendam, atque ego enixè contenderim, ut in se potiùs illi munus hoc susciperent, non potui tamen Senatui meum hac in parte studium, ex mei conscientia profectum, approbare.

Igitur accessi quidem ad hæc justa facienda, sed tanto majori cum trepidatione, quanto propensiori cum voluntate. Quippe non ignarus, quam assequi id nequeam, ut, qua facundia ὁ μακαρίτης cum alios, tum omni penè laudatione majora Academiæ hujus, imo orbis eruditi lumina, CUNÆUM atque SALMASIUM honoravit, & exornavit, eadem, quod merebatur, à me exornaretur & honoraretur. Credo autem, me & Clarissimis Collegis, & honoratis

ratis defuncti Amicis, & quotquot erga ipsum præsentia vestra testatum venistis affectum, ita satisfacturum, si, quæ de Collega desideratissimo novi, sine invidia enarrem, &, quæ de ipso sensi ac sentio, ingenuè explicem. Quod dum facio, metuendum mihi non puto, ut justus sine mendacio candor apud bonos sit crimini.

Magnus ad virtutem atque decus commeatus est, ex bonis nasci. Non, quod non heroum filij sint noxæ, quodve existimem, ingenium & virtutem esse hereditariam, aut in subolem cum semine transmitti: Sed quod sua etiam gratia DEUS prosequatur posteritatem eorum, quibus se amare & secum ambulare dedisset. Patrem ὁ μακαρίτης habuit ÆLIUM EVERARDUM VORSTIUM, qui, etsi in familia sua Brabantiæ Cancellarium, & Aquæpendentis Episcopum, & alios dignitate atque eruditione præclaros Viros prætulerit: tamen ipse meritus fuit, ut familiæ suæ primus haberi jure potuerit. Nam & Italia per annos non paucos arte se, & prudentiâ, & fidelitate, & moribus, & ingenio maximis, qui tum in ea florebant, viris probavit, & in patria, cujus amor eum ex amœnissima regione revocavit, ætatem consulendo miseris & juventutem ad medendi peritiam formando consumpsit. De quo plura possem, & commemoratione digna dicere, si non publicè exstarent in oratione, quàm à funere ejus habuit, quem modò laudavi, Clarissimus antecessor PETRUS CUNÆUS.

Matrem ὁ μακαρίτης habuit GERTRUDEM VAN VOORST, lectissimam Matronam, atque oriundam ex familia non ante quadringentas modò annos Ultrajecti nota, sed & multorum, qui ex ea orti sunt & variis ibi honoribus functi, meritis clara. Hujus sororem in matrimonio habuit ARNOLDUS BUCKELIUS, eruditione & historia Episcoporum Ultrajectinensium celebris.

His parentibus natus est noster in proxima urbe Delphis. Quanti intersit, quo quis in solo nascatur, discere vel ex eo est, quod ingenij mores ferè sequi corporis temperamentum videamus. Hoc verò quantam ex natalis soli constitutione varia varietatem accipiat, illustribus & sanè admirandis nos exemplis docuit Hippocrates. Quod ego non propterea suggero, quod existimem aliam esse vervecum patriam, aliam verò tam felicem terram, ut Catilinas non generet. Non certè. Nulla enim terra est, quæ non sit

DEI: nulla gens eſt, cujus non indolem ipſe formet, cujus mores non moderetur, cujusque cupiditates non frenet, & ſtudia non regat atque ad ſuum honorem dirigat. Ejus eſt Judæus, ejus eſt Græcus, Scytha, Barbarus. Attamen nullus in regno Dei Judæus, Græcus, Scytha, Barbarus. Hollandia noſtra, ſi verum amamus, olim vel littus pauperum piſcatorum fuit, vel habitatio hominum non minùs barbarorum, quam viſuntur hodie in remotiſſimis Americæ terris. At poſtremo hoc tempore, quæ DEI omnia variantis & commutantis ſapientia eſt, Hollandia exſtitit ſplendidiſſimum virtutis, fidei, artium, eruditionis, prudentiæ, fortitudinis, & cujus non divinæ benedictionis theatrum. Per magnum verò eſt, ea in terra naſci, ubi complura decori omnis exſtent exempla. Erant in Græcia, quos Miltiadis trophæum dormire non fineret: quidni adoleſcentes, quibus quid læva ſalit ſub mamilla, exiſtimatione commoveantur & decore incitentur honeſtiſſimorum & ob eruditionem laudatiſſimorum Virorum? Roterodamum, quem jactaret, Eraſmū ſuum habebat: habebant Delphi ſuum Grotium, quem admirentur, quum noſter alios erat cogniturus homines: quippe majorem annis quatuordecim.

Natus eſt ὁ μακαρίτης in ea tempora, quibus patefieri in hac patria noſtra voluit DEUS, quid fides, quid fortitudo, quid ſcrutatio Sacræ Scripturæ, quid ingenium in utrumq; ſagax & pro veritate & contra eam poſſet. Nuper ejurata Hiſpanorum injuſta liberæque genti intoleranda dominatio erat: bellum cum hoſte gerebatur potentiſſimo: jacta in Eccleſia erant ſemina controverſiarum litiumque, ſine quibus numquam oppreſſa veritas emergit, nedum de talis zizanij ſeminatore triumphat. Ibi naſci, tali tempore naſci, in ſinu Eccleſiæ & ex fidelibus naſci, habereque Domi Rectorem Patrem, & morum atque linguæ formatricem Matrem, probum utrumque & prudentem, quanta felicitas eſt! Valet in vulgus inſipientium opinio, ita quemvis eſſe & ſentire, ut à parentibus, à civibus, à ſodalibus acceperit. Fateor, ita pleroſque vento ſeculi hujus agi, ut agit is, qui poteſtatem ejus habet Princeps mundi. Verùm, ita naſci, ut, veritatem & pietatem noſſe, ſit & vernaculum ac domeſticum, & accedente divinâ illuminatione ac teſtimonio conſcientiæ, fides fiat & cœleſtis revelatio, tantum eſt, quantum comprehendere mens humana poteſt. Da patriæ DEUS, has opes ſuas atque hoc pulcherrimum cœli depoſitum

situm agnoscere, proque iis gratias tibi semper agere, & precibus à te per CHRISTUM impetrare, ut, & seri nepotes nostri habeant, quare nec ulli terræ invideant, neque illi se postponant, quæ Sancta nominata fuit.

Natus itaque est noster anno superioris seculi nonagesimo septimo, Novembris vicesimo tertio, quæ tum dies erat Dominica, circa primam noctis horam, & quidem subito partu, citra aut obstetricis aut alius fœminæ auxilium, ut est à parente annotatum. Nomen ei in sacro baptismate inditum est ADOLFI, quod Comitis Nevenarij, ejus familiæ ultimi, fuit. Imposuit hoc ei WALBURGIS, Comitissa Meursensis, dicti Comitis uxor, quæ τὸν μακαρίτην ex Sacro fonte suscepit.

Ut autem primogenitus Parentis optimi fuit, ita diligenter ab eo observata sunt, quæcunque observari in infante meruerunt. Ex quibus judicavit, esse eum temperamento calido & modicè. Sicco, & ἔνσαρκον fore, & ob membrorum compaginem satis validum. Quo præsagio quam non aberrarit, quin contra ostenderit, quantum & Ars certi habeat, & ipse sibi ad hoc eruendum & asserendum solertiæ comparâsset, eventus comprobavit. Præter enim, quæ in nostro erant obvia usque ad vitæ novissima febrim non fuit expertus, neque morbum ferè ante senectutis, quæ ipse morbus, annos. Quod eum de se sæpius testantem audivimus.

Puer doctus & promptè legere & literas belle formare. Quæ prima cura honestorum parentum est. Literis enim omnis veritas, prudentia, ars, historia, tamquam custodia, continentur conservanturque. Et non sine literis divina nobis innotescit voluntas, quæ animæ nostræ sol est. Præcipuè verò & animus ejus ad veritatis, quæ pios facit, cognitionem, & lingua fuit ad pronunciationem divinorum elogiorum assuefacta. Post hæc initia tráditus est disciplinam JOHANNI TRAUDENIO, Viro inprimis sedulo & erudito, celeberrimi Patris Filio, Gymnasii hujus urbis tum Rectori. Apertum hoc cum in finem à Proceribus urbis fuit, ut pueri ad pietatem, ad intelligentiam Latini & Græci sermonis, ad prima artium initia, ad lectionem optimorum Auctorum, ad promptam & ornatam elocutionem optimarum cogitationum introdu-

cantur. Jam enim anno, qui nostri nativitatem sequutus est, Parens, viri eximia virtute, eruditione, arte, vocatus in hanc Academiam erat: in cujus proscenio clarus omnibusque charus annos sex & viginti fuit.

Noster, quum omnibus solertis ingenij & ingeniosi adolescentis muniis ex parentum & præceptorum voto esset functus, atque cum laude ac præmio per omnes processisset ordines, quintodecimo ætatis anno Academiam ingressus est. Quæ ætas, uti cerea est in vitium flecti, ita &, si ductorem habet, & custodem, qui abigat sodalitium pravum, aut sua si quis sponte ad decus & honorem feratur, aptissima est, ut seriis studiis initietur. Noster consilium & tractandarum tum literarum latinarum græcarumque tum Artium liberalium formam à prudentissimo Parente accepit.

Erat tum in Academia HENRICUS BREDIUS: Erat adhuc in vivis BONAVENTURA VULCANIUS Senex. Illius cura plenam utriusque linguæ notitiam, hujus verò etiam Græcæ elegantiam fuit consecutus. Bredius eum in Luciani præsertim & Homeri, in quibus universæ Græciæ penu est, lectione exercuit. Vulcanius verò, quicquid præterea erat in optimis quibusque auctoribus dignum observatu, tempore vespertino suggerebat; quo eum frequentare solitus fuit.

Habebat tum quoque Academia viros celeberrimos & eruditionis indubitatæ; CUNÆUM, HEINSIUM, BAUDIUM, JACCHÆUM. Hisce omnibus aurem attentam & animum sagacem, prudentem, memorem accommodavit ADOLFUS noster: Sive in publico præclaras suas meditationes pronunciarent, sive domi familiariter ingenium infirmius formarent firmarentque, sive ad eorum colloquium accederet. Hoc verò frequenter faciebat, ut animum intendere seriis, & vultum ferre seniorum, & honesta atque silentio meliora disceret loqui, simul & à doctissimis Viris, tamquam è perenni fonte, hauriret, quæ in illorum memoria recondita latebant, & percunctando eliceret, quæ esse sibi ex usu possent. Qua solertia effecit, ut omnibus esset gratissimus, & magno haberetur in pretio, præsertim à VULCANIO, cui, quia oculi præ senectute jam caligabant, volupe erat hunc, quod anni faciebant, fructum habere otij, ut erectioris ingenij adolescentem & ad magna prudenti consilio atque indefesso studio prope-

rantem instrueret eo commeatu, quo esse illi opus sciebat, ut sibi & Republicæ utilis evaderet. Quemadmodum autem ista arte nihil est studioso juveni fructuosius: Sic tali negotio nihil est erudito seni jucundius. Quippe nihil est, vel esse potest, quod docti magis cupiant, quam fieri periculum sui, quam dari occasionem, sibi, ut, quæ multo labore atque curâ paraverunt, transfundere in mentem discendi avitam, tamquam in fertilem agrum, queant. Idcirco gaudent se excitari ad quærendum, meditandum, & de rebus judicandum. Scilicet ut, de aliis bene merentes, sui s interim ipsi thesauris fruantur, eosque augeant & amplificent. Docendo enim discimus omnes: & se exercet, quisquis docet; mentemque doctrina æquè, ut labor corpus firmat. Ista arte usus est ADOLFUS noster, hoc agens, ut semper aliquid à doctis viris auferret κειμήλιον doctrinæ utilis. Eo etiam fine admotus est à Parente colloquiis, quæ cum doctis domi habuit.

Videtis, quos & quantos noster præceptores habuit. Maximus tamen ἐργοδιώκτης ei fuit charissimus Pater, qui nullum tempus omisit, quin optimis eum præceptis & monitis imbueret, vel mores ejus exornaret, vel publicè privatimque audita ab eo exigeret, ejusque judicium quæstionibus exerceret. Inter quas exercitationes palmarium & maximè fixum fuit, ut quotidie vel ante, vel post cœnam, idoneam ex Novi Testam. codice pericopam Græcè prælegeret & interpretaretur.

Neque verò contentus fuit, Latinam linguam & Græcam ita discere, ut utraque ei familiaris esset & quasi vernacula, sed à magno ERPENIO Hebræam atque Arabicam didicit una cum D. JACOBO GOLIO, Collega honorando, & GULIELMO MERULA, Pauli filio. Qui uti multis ante nostrum annis esse inter vivos desiit: ita illum nostro, cum quo individua semper societate atque illibata amicitia inde à primis contrahendæ notitiæ annis vixit, superstitem Divina benignitas voluit, atque utinam diu Reipublicæ, Academiæ, familiæ bono velit! Illis verò in linguis tantum profecit, ut etiam senex utraque scriberet, & cum Hebræis Bibliis, tum literis Arabicis non infeliciter uteretur.

Neque verò putandum est, quod multi putant, linguas istas eruditas discere & perdiscere, ut earum naturam, indolem, proprietatem, elegantiam, copiam, vim, familia-

riter notis, laborem esse inutilem, & operam hominis otio abundantis atque ei illudentis. Revera scientiarum fores linguæ sunt. Quæ cui clausæ sunt, ei clausa sunt omnia. Sine illis enim nec præclara veterum inventa rectè cognosci, neque historia resciri, neque sapientia illa, quam etiam gentibus largita est, & per earum nobis manum tradi divina voluit providentia, neque sermo formari prudens, venustus, commodus, flexanimus potest. Quin ipsis profecto experimentis constat, quantus earum sit usus, & quantum in earum ignoratione damni. Unde quæso factum est, nisi per illarum neglectum & contemptum, ut ante novissimum seculum maximæ in omnes artes atque scientias, imo in totum mundum invectæ sint tenebræ, & eò perventum, ut cogerentur optima quæque ingenia nescio quorum tenebrionum & ineptè subtilium salivam sorbere pedesque lingere? Nonne contra quando DEO visum est per veritatem suam mundum illuminare, & utilissimas scientias ad majora incrementa provehere, id instrumento illarum linguarum dedit effectum?

Nostro certè ADOLFO magnum operæ pretium fuit, de omni re cogitata tersè, purè, eleganter, perspicuè, argutè, rotundè Latino sermone explicare: tum & in Græcis auctoribus, Historicis, Oratoribus, Poëtis, Philosophis, & imprimis Hippocrate ac Galeno aliisque artis nostræ celeberrimis Scriptoribus; atque etiam in Ecclesiæ Doctoribus Græcis, Nazianzeno, Basilio, Chrysostomo, quorum nomina abolere nulla potis est vetustas, præcipuè autem in Sacris Novi Testamenti literis, ut inter notos ac familiares versari, neque illis uti barbaris: denique etiam fontes divinorum eloquiorum, Mosis nempe & Prophetarum Scripta, voces à DEO traditas audire, & ex illis mentem atque sapientiam sermonis Apostolici propius cognoscere. Arabica autem lingua ei plurimum, cum ad Botanicam Professionem, tum ad Medicinam profuit. Quo enim seculo bonæ literæ & artes è deliquio suo velut redivivæ se resumebant, prima quæque ab Arabibus sint accepta: Et occurrunt hodieque plurima eorum in arte vocabula, quæ scire pulchrum est, ignorare incommodum. Noster, ne ignoraret aut interpretis egeret, proposito studioque effecit.

Quum

Quum verò ingenium ſuum in hiſce ſubegiſſet, antequam ad majora ſe transferret, in publica de Motu diſputatione, quam ipſe conſcripſerat, periculum ſui cum laude fecit, ſub præſidio GILBERTI JACCHÆI, cujus manuductione ad Philoſophiæ adyta erat introductus. Tempus jam erat, ut, quod diu deliberarat, ſemel ſtatueret, cuinam operi ſe totum dedere ac conſecrare vellet, in quo vitam ſuam tranſigeret. Atque ipſi quidem vehementer placebat Theologiæ ſtudium. Non poſſunt enim non probi homines verbo DEI delectari, & cognitione ejus veritatis, cujus intellectus vera ſapientia, cujus uſus vera & unica prudentia eſt. Quam inveniſſe, ut beatum eſt: ita eam verbis à DEO traditis enarrare & explicare, magnum ſine dubio decus & ornamentum eſt. Sed illud propoſitum Pater diſſuadebat, qui etſi filium cupiebat eſſe pium, & diſcipulum DEI, ac cœleſtis ſapientiæ candidatum: tamen metuebat impellere, ut eſſe ejus Doctor conaretur. Subivit ſine dubio animum ejus, quod Sanct. Jacobus dicit: *Nolite multi doctores fieri, fratres, ſcientes quod majus judicium accipiemus. In multis enim offendimus omnes. Qui in ſermone non offendit, is perfectus Vir eſt, qui & totum corpus freno regere rationis poſſit.* Et videbat Vir prudentiſſimus magnas inter Theologos illa tempeſtate lites, eaſque non moderatè exerceri, ſed contra odiis in ſe mutuo fratres graſſari, factionibus ſcindi, & politicis intemperiis in fermentem congeri atque componi. Quorum malorum quum eſſe filium expertem cuperet, auctor ei fuit, ne hunc ſtudiorum ſuorum faceret ſcopum, ut ſacra doceret. Supererant ſeveriorum diſciplinarum duæ, Juriſprudentia & Medicina. Quum non magis ad unam factus, quam ad alteram videretur, ſorti re commiſſa, Patriam artem Medicinam elegit, ſeque totum Parentis & Collegarum ejus, Clariſſimorum Virorum inſtitutioni commiſit, aureſque iis & animum, qua publicè, qua privatim, ſubſtrinxit ita, ut, quæ audiret cum ratione & experientia cumprimis, deinde cum aliorum etiam doctorum, præſertim verò priſcorum commentariis compararet. Quos inter priore loco Hippocratem & Galenum ſemper habuit. Quippe principes noſtræ artis, & unde defluxit, quidquid poſteri habent in præceptis certi, ſolidi, utile, ſalutare.

Ita eum Academia integrum ſeptenhium tenuit, occupavit, polivit, exercuit. Quo tempore, ne honeſtum & utile ei deeſſet intenſioris ſtudij laxamentum, non in otium ſe è negotio præcipitavit, ſed, præter amæniora ſtudia, etiam Graphicen & Muſicen adhibuit, magiſtris uſus optimis. Quarum etiam hanc dilexit ſenex & exercuit eleganter, ſæpius fidibus ſuos mærores ſolatus aut inſomniam fallens.

Vexerat uſque ad annum hujus ſeculi viceſimum in paternis laribus, jamq; duos habebat & viginti annos; quum Patri viſum, ad viſenda eum nobiliſſima Chriſtiani orbis regna peregrè ablegare. Quippe expertus erat Pater, quantum ad deterendam foci vernaculi fuliginem, ad exuendam ruditatem, ad abſtergendam arrogantiam, ad abradendam ineptam ac ruſticam δυσωπίαν atque trepidationem infantem faceret peregrinatiò & cum gentium cultioribus atque humanioribus converſatio. Quatuordecim enim annis in Germania & Italia ipſaque magna Græcia egerat. Prætereà iter illud multum videbatur ad peritiam Artis medicæ collaturum.

Igitur, ſalutatis amicis, itineri ſe commiſit onuſtus præſtantiſſimorum Virorum commendatitiis, per quas tamquam duces & admiſſionales (ſi fas eſt cum Lampridio loqui) ad Summos Viros deduceretur. In itinere pro cynoſyra habuit, ut, quicquid nobile, egregium, doctum eſſet peregre, id cognoſceret, inde exemplum caperet, ad id ſe transformaret, denique domum ut melior, ut prudentior, & humano generi utilior rediret, patriæ ſuæ ornamentum futurus. Per Brabantiam, trajecto mari, venit in Angliam, luſtrataque obiter præcipua ejus parte, in Galliam iter reflexit.

Ibi ei volupe fuit cognoſcere Summos Viros, SALMASIOS, RIGALTIOS, PUTEANOS, MAUSACOS, RIOLANOS, MARTINOS. Ibi PETRUM MOLINEUM, hujus olim Academiæ Profeſſorem, tum Lutetiæ inviſit & coluit, & ab eo viciſſim amatus eſt. Lætabatur vehementer, quum in ea urbe obvium habuit THOMAM ERPENIUM, Præceptorem ſuum, qui Rever. & Clariſſ. D. ANDREAM RIVETUM illac Lugdunum ducebat: iterumque, quum Conſtantinopoli reducem GUL. MERULAM, condiſcipulum ſuum offendit. Multos enim

lætos cum his exegit dies apud Maronitas linguæ Syriacæ & Arabicæ Professores.

Salmurij cognovit Illustrissimum PHILIPPUM MORNÆUM, Plessiaci Dominum, eumque sæpius adiit, & humanissimè ab eo acceptus est. Quo Viro Gallia nullum eo tempore habuit nec veritatis amantiorem defensoremque acriorem, nec pacis magis cupidum, Regiæque Majestatis observantiorem, nec civem denique meliorem. Quamvis à nulla parte debitam retulerit gratiam. Quæ plerumque sors est eorum, quibus studij est, partes nec facere, nec sequi.

Salmurij quoque JOH. BENEDICTUM, Græcæ linguæ Professorem adiit, eique exspectatus adfuit. Postea quam enim solidum cum eo pomeridianum in evolvendis quibusdam Galeni & Luciani locis consumsisset, suasq; illi conjecturas, emendationes, versiones probasset, & peritiæ in Græcis opinionem de se ei præbuisset, rogatus est ad tempus subsistere, ac operam in Galeno corrigendo & recensendo conferre.

Blæsiæ familiarem habuit, PAULUM RENEALNUM arte medica & botanica peritia scriptisque celebrem. Sic deinceps præcipuas Galliæ urbes adiit & cognovit, comite illustri Viro D. GISBERTO VAN DER HOLCK, Patritio & Consulari Ultrajectino, cognato suo, qui summis honoribus in patria urbe functus, à multis nunc annis in consessu Celsissimorum Fœderati Belgij Ord. Generalium, Provinciæ suæ nomine, fide, consilio, integritate clarus, & solus ex Defuncti consanguineis superest.

Inde in Italiam venit, regionem ubertate terræ & fertilitate ingeniorum à multis seculis celebratam; nisi quatenus per sedem malitiæ ingenia illius capistrantur & atteruntur. Vidit Venetiis Illustrissimum Senatorem, Ducis fratrem, DOMINICUM MOLINUM; neque tantum vidit, verum etiam amorem illius meruit, quia nihil in ipso erat non amandum Qui & optima ei semper monita suggessit, nempe, ut esset Vir bonus, DEUM timeret, civem se bonum præstaret, statum Reipublicæ, in qua erat natus, maximi faceret, & libertatem, quam ei DEUS est largitus, nemini proderet, & sententiam, si fortè in Senatum aliquem cooptaretur, libere & sine affectu diceret. Exstant ejus epistolæ de ADOLFO nostro & ad ipsum scriptæ, testes & internunciæ non vulgaris benevolentiæ

ac favoris. Ejus beneficio licuit nostro Bibliothecas illius Reipublicæ adire, eisque frui, & nominatim Bibliotheca Bessarionis Cardinalis, sive potius ejus reliquiis. Quippe & illa grande latrocinium passa erat, & sacrilegam manum. Potissimum tamen ejus beneficium est, quod per eum in notitiam venit PAULI SERVITÆ, illius, qui Concilij Tridentini historiam ingenuè descripsit.

Quem hominem pro miraculo merito habuit, quisquis cognovit, sive immensam doctrinam ejus, sive probitatem consideret. Per quem hominem divino beneficio effectum est, ut ea Respublica nec tyrannidi Papali nec fallaciis cederet. Ibidem cognovit NICOLAUM CONTARENUM, Patritium & Senatorem, & magni in Re herbaria nominis, qui eum nullo non humanitatis officio devinxit. Ejusdem MOLINI commendatione insinuatus est in amicitiam Clariss. Virorum, qui tunc Italiæ erant ornamentū, LAURENTII, PIGNORII, SPIGELII, PRÆTORII, CREMONII. Quamvis nec ipsorum humanitas commendatitias exspectaret, nec aliud ipsius virtus atque eruditio mereretur, quam ut inter decora haberetur juventutis, quæ tum ipsos sectabatur. Quare & ab inclyta Natione Germanica ad Consiliarii sui dignitatem evectus est, proq; ea aliquando magno, magni Fautoris sui commendatione, apud D. Marci Procuratores obtinuit, omnesque sibi æternum obstrinxit. Priusquam verò ex illustri Antenoreo discederet, ab ADRIANO SPIGELIO (quanto Viro!) in Philos. & Medicinæ Doctorum ord. publicè adscriptus est an. Christi millesimo sexcentesimo & vicesimo secundo, Augusti vigesimo.

Adiit deinde Romam, ubi Illustrissimo heroi REINERO ZENO, gravissimo tum temporis apud eum hominem, quem Pontificem Maximum vocant, Oratori acceptus, MOLINI quoque commendatione, fuit; à quo & benignè habitus est, & ad omnia ejus urbis arcana tuto cognoscenda admissus. Prosecuta est eum benevolentia Viri optimi (nam quid illustrius dici potest?) etiam abeuntem. Nam & parenti & amicis eum non defunctoriè laudavit, à bonitate, modestia, comitate, aliisque virtutibus; ejusque promotionem ad Professorium munus ipse per epistolam est gratulatus. Neque hoc tantum benevolentiæ specimen erga eum edidit, sed etiam, tamquam si pater ejus esset, ut tuto & commode in patriam rediret, procuravit.

Illu-

Illustrissimo enim Viro, M. ANTONIO MAUROCENO, qui ad Celsissimos Ordines Legatus proficiscebatur, eum commendavit. Qui eum & Augustæ Taurinorum lubentibus oculis conspexit, & apud se detinuit, donec se itineri dare posset, salvumque & incolumem in patriam reduxit.

Quæ à me sunt eo fine commemorata prolixius, ut & tanti benefactoris, cujus ipse sæpius in se beneficia solebat magnificè prædicare, memoria exstet, & vos inprimis, juvenes optimi, qui vos ad Rempublicam ingenio ornandam paratis, hinc intelligatis, quemadmodum DEUS iis, qui se non inertiæ & turpibus voluptatibus dedunt, sed esse & boni & docti & optimis simillimi quærunt, Angelos suos dare Duces & Comites soleat, & in omni mundo præparare favorem atque benevolentiam. Angelus Domini castra habet circa timentes ipsum, eosque suis fert manibus, ut pedem non allidant.

Venerat in Belgium MAUROCENUS, inter prima ei fuit laudare ADOLFUM nostrum MAURITIO Principi, cujus inter Medicos tum etiam numerabatur parens ejus EVERARDUS. Quid multa? Suscepit Princeps laudationem, & effecit, ut Nobilissimis D.D. Curatoribus & Amplissimis hujus urbis Consulibus placeret noster, & Professorum numero adscriberetur, & Patri suo, raro exemplo, Collega daretur. Factum id anno hujus seculi quarto & vicesimo: Rectore PETRO CUNÆO, quo tempore annum agebat ætatis vicesimum septimum. Successit autem Clar. Viro REINERO BONTIO, Mauritij Principis archiatro. Orationem ejus inauguralem ornavit Illustrissimus MAUROCENUS, faventissimus idem & judiciosissimus auditor.

Assignata ei lectio Institutionum medicarum fuit. Quam auspicatus est ab interpretatione τῆς τέχνης Galeni. Qui etsi inter omnes Pergameni libros subtilissimus est & spinosissimus, ita tamen à Nostro fuit dilucidè, nervosè, doctè explicatus, ut statim ostenderet, quantum ingenio, judicio, eruditione valeret. Hac valuisse scio jam mirari neminē, qui ex me, quanto ad profitendum commeatu instructus processerit, attentus intellexit. Doctum esse doctorem oportet. Quæ enim hæc impudens arrogantia est, docere, quæ non dedisceris, velle? Volenti verò, quæ doceat aliquando, & cum fruct· abundè discere, non unus vel alter sufficit liber.

Verum eſt, nullus eſt tam malus, qui non aliquid habeat boni: Sed contra nullus eſt tam bonus, in quo non pluri-ma requiras, quæ ignorare virum in publica luce conſtitu-tum non licet. Ut jurisperiti domus, civitatis; ſic Profeſ-ſoris eſſe oraculum ſtudioſæ juventutis debet, & ipſe inſtar patrisfamilias, qui è theſauro ſuo profert nova & vetera, quotiens ad eum generoſa diſcendi cupiditate conſultum commeant. Iſtum ſibi theſaurum comparaturo opus eſt, ut libros verſet plures, & in pluribus Diſciplinis, variisque linguis. Quas noſter ſciverit, dixi. Certè eruditis, Latina & Grçca, earumque ſimilis, Gallica & Italica, utebatur tam feliciter, ut in qualibet earum ex tempore epiſtolam, de quovis etiam argumento, ſcriberet perſpicuè & venuſtè.

Sequenti anno, quum defunctus eſſet Excellentiſſimus Pater, ei, in Senatum Academiæ & ordinariorum nume-rum cooptatus, ſucceſſit in Botanica profeſſione & cura Horti publici.

Proximo anno menſe Octobri, quum pene nonum & viceſimum ætatis exegiſſet, uxorem duxit CATHARI-NAM VAN DER MEULEN, ornatiſſimam Virginem, filiam DANIELIS VAN DER MEULEN, & HESTE-RÆ DE LA FAILLE. Fuit is ex antiqua & nobili pro-ſapia. Conſtat, ante annos ducentos & quinquaginta in Galliarum Regis aula vixiſſe NICOLAUM VAN DER MEULEN, unde DANIEL genus ducit. In ea familia dignitate & auctoritate ſplenduit ſuperiori ſeculo AN-DREAS VAN DER MEULEN, Dominus de Ronſt & Millegem, Vir pietate inſignis, virtute & prudentia clarus Antverpianus Senator, Procerum fœderatorum Aſſeſſor, Ducis Alenconij, ante tragicos illius motus & ſciſſas pro-vincias, Conſiliarius. Ejusdem dignitatis fuit DANIEL, Socer Collegæ quondam noſtri, Vir in omni literarum ge-nere verſatiſſimus, & Theologiæ peritiſſimus, amator & ſtudioſus indagator Sacrarum literarum, quas non niſi ſua lingua legebat; Græcam ita callens, ut & cum Græcis græ-cè loqueretur. Ad Germaniæ Principes legatione functus eſt integrè & dextrè. Delata ei legatio ad HENRICUM MAGNUM, Galliarum Regem. Quam magnas ob cau-ſas excuſavit, obiit autem FRANCISCUS AERSENIUS, magnus religionis & libertatis aſſertor. Quum autem idem DANIEL VAN DER MEULEN eſſet in gratia MAU-RITII (quem nominare, laudare eſt) cupivit Archi Dux

ALBER-

ALBERTUS cum eo colloqui, quod arte quadam effecit MARTINUS DE LA FAILLE, Baro Nevelensis, affinis ejus. Nam, ficta valetudinis causa, invitatum conjecit in colloquium Archi Ducis inopiatum. Locutus est cum eo Principe liberè, & summam Colloquii Federatorum Proceribus & MAURITIO Principi fideliter exposuit. Quod Reidanus memorat libro quinto decimo. Fuit idem PHILIPPO MARNIXIO, Aldegondij Domino, adeò familiaris, ut tutelam ei liberorum obtulerit.

Hujus igitur filiam, Virginem moribus, & pietate inprimis, dotatissimam, duxit in spem prolis, quam & ei DEUS largitus est copiosam & ornatissimam. Ex qua filius superstes unicus est EVERARDUS, quem humanioribus literis & Mathematicis artibus ac juris scientia egregiè imbutum noster ante hoc triennium Lutetias Parisiorum dimisit ad illustrem D. GULIELMUM BORELIVM, Dominum de Duinbeke & Westhoven, &c. Celsissimorum Ordinum Generalium apud Galliæ Regem Oratorem ordinarium, Virum sapientissimum prudentissimumque, ut ei à Secretis esset. Sciebat enim quantum ad artem vivendi, ad prudentiam politicam, ad rerum, præsertim publicarum, peritiam conferat non tantum conversatio cum omne genus hominibus, maximè verò cum personis splendidis & in variis honoribus constitutis, sed & ipsarum rerum assidua tractatio ac negotiorum pro Republica gestio.

Ex filiabus supersunt quatuor, magnis animi corporisque dotibus præditæ, præclarum laudationis argumentum, si laudari se modestissimæ Virgines paterentur. Earum tertiam nuper admodum ingeniosam & gratiosam, phthisi consummatam Noster humavit mæstus.

Fratrem unicum habuit JOSEPHUM JConsultum. Qui hoc nomen habuit à JOSEPHO SCALIGERO, quem ego tacendo magis apud vos, quam loquendo laudaverim. Quid enim magni potest dici, quod in ipso majus non fuit? Inter quem & defuncti Patrem tanta intercessit & tam familiaris consuetudo, ut non modo hunc filium è sacro fonte susciperet, sed & plurimos ei libros, certè quos in bibliotheca habebat Medicinæ Princeps suâ manu emendatos, moriens legaret omnes. Exstat hujus JOSEPHI epistola dedicatoria ad Illustrissimum MOLINUM, nitidè & tersè scripta, & præfixa Cluverij in Geographiam introductioni.

Is in

Is in dignitate Scabini apud Ultrajectinenses cælebs fato functus est. Sorores aut virgines aut sine prole decesserunt.

Cum conjuge sua dilectissima ita vixit, ut numquam cum ea in gratiam rediret. Habuit & illa fratrem in dignitate Scabini & Secretarij Sylvæ-Ducensis defunctum, & sorores aliquot. E quibus nisi una non superest, nupta Nobili & Amplissimo D. DAVIDI DE RUYTER, Curiæ federatæ Brabantiæ Præsidi & annis tringintaq; quinque Senatori integerrimo, quem & veneranda annorum quinque & octoginta subviridique senecta funus, quod secuti sumus, deducentem vidimus, & ea, quam lubentes canis meritoque pii deferunt, reverentia præsentem videmus. Nostro sua conjux erepta est in secundo Rectoratu, ut frater in primo. •

• Ter enim summum hujus Academiæ Magistratum gessit. Primum iniit anno labentis seculi XXXVI. alterum LII. tertium LX. ante diem octavum Februarij, qui Academiæ natalis est. Rectores in hac Academia leguntur partim suffragio Collegarum, partim voluntate & judicio præcipui in hac Republica Magistratus, aut etiam ipsorum Nobilium & Præpotentum Ordinum: quorum summa potestas est, quibus tres à Senatu solent proponi. Quam nominationem sequitur Amplissimorum hujus urbis Consulum commendatio. Testimonium igitur non contemnendum est integritatis & prudentiæ, hoc decore ornari, & quidem tertio.

In eo munere, quoties id gessit, fautorem se & adjutorem demonstravit, studiosæ juventutis, quæ ad hanc Academiam venit, ut & optima quæque audiat, & ad omnem laudem ac honorem provehatur. Quamquam etiam vitia quorundam insanabilium & ἀταξίαν non toleraret. Ita sub ipsius extrema Rectura effectum est, ut omnes, quotquot in Academia vivunt, lubentes uno contenti Rectore essent.

Memor semper fuit jurisjurandi, quod Rectores quotannis Illustrissimis D. D. Ordinibus præstant. Ii leges quasdam præscripserunt, quæ partim ad ordinem, partim ad Professorum dignitatem, partim ad studiosæ juventutis commodum, partim ad jus ipsorum ordinum pertinent. Quod quum ita sit, semper ei antiquissimum fuit, in iis immanere. Quippe persuasus, eum, qui juravit, etiamsi damnosum sit aut incommodum juramento

mento satisfacere, tamen non posse, nisi DEO teste abnegato, discedere ab eo, quod juravit. Quotiens igitur tempus & locus fuit de istiusmodi rebus sententiam dicendi, in illa se tenuit parte, ut neque suo se, neque alieno affectui pateretur abripi: Sed, quod erat præscriptum, quantum facere pro virili posset, sancte observaret. Quod profecto à nemine accipi in malam partem potuit. Nam, qui ita agunt, non possunt non haberi pro viris bonis & integris, etiam ab iis, qui aliud cupiunt. Qui autem aliter agunt, non possunt non ab omnibus contemni, etiam quibus placere volunt. Quippe quos necesse sit vel rudiores haberi, quam ut sciant, quid se deceat, & quid sibi commissum sit; vel pavidiores, præut elaturo supercilium se ausint objicere, vel quærentes quod ipsorum est.

De cetero comis & urbanus erga omnes fuit, amicitiæ constans cultor, & ab amicis ad extremum amatus: quamquam etiam, ut serius & liber erat, nonnunquam moneret, quid posset in iis desiderari; neque mutuas aspernaretur admonitiones. Denique in omni conversatione unicam regulam sequebatur, quam ab Illustriss. MOLINO se accepisse identidem commemorabat: *Signor Adolfo Stete vertuoso.* Quo apophthegmate ita delectabatur, ut omnium molestiarum itineris sui unicum fructum & operæ pretium videretur habere, ore tanti Viri ad virtutem, ad pietatem, ad fortitudinem bono proposito dignam, ad studium denique bonæ conscientiæ, tamquam ad certissimum animi munimentum, exstimulari & excitari. Has ob res etiam sæpius à Senatu Acad. ad negotia ejus curanda delegatus fuit.

Interim ex hac cathedra sæpissime dixit, sive quis studiosorum publicè ornandus esset, sive etiam Collegarum aliquis vel Amicorum Defunctus, cui justa exsolvere suarum esse partium putavit. Inter quos est Nobiliss. SALMASIUS, cum quo ut familiaritatem coluit arctam & minime vulgarem, ita eum etiam post immaturum ejus & inexspectatum decessum publicè laudare voluit & celebrare Quod ut pleno affectu, ita & stilo præstitit facundo.

Quod ad commentationes privatas attinet, nihil quidem hactenus ab ipso editum est. Sive quod sibi non satisfaceret & posteritatem nimis formidaret, sive quod doctorum judicia vereretur, vel potiùs Sciolorum maledicentiam, quibus abundat hæc tempestas. Quam omnino aleam coguntur subire, quotquot hoc tempore vel inventiones suas

vel meditationes publico communicant. Interim non abierunt ipsi inanes & inutiles horæ succisivæ. Præter enim plurima, quæ ab ipso sunt in optimos auctores annotata, vel de insignibus argumentis affecta, eruditissimus ab eo commentarius in Theophrastum, Philosophiæ botanicæ scriptorem admirandum, pene est ad umbilicum deductus. In quo innumera, aliis prætervisa, observavit, annotavit, emendavit.

Quis verò fuerit ὁ μακαρίτης in cognitione Artis, tum in Hippocratis, Galeni, aliorumque Veterum usu ac familiari notitia, tum in Botanicis demonstrationibus, non modo quotquot in hac Academia sunt Medicinæ Studiosi possunt testari, sed & præstantissimi variarum gentium Medici, qui aut docendo artem nostram aut faciendo profitentur. Professorum sanè, quotquot Germania præsertim habet, certè celebriorum partem maximam ab ipsius ore pependisse, certum est. Me, gloriæ duco, aliquando etiam esse doctissimi maillius institutione usum, & per eam mihi insinuatam esse aviditatem legendi Veteres, ipsosque fontes adeundi, & præcipuè omnium magistrum Hippocratem. Quem ille ut à multis annis, qua Aphorismos aliosque ejus nobilissimos & utilissimos libros, publicè atque eruditè ac disertè exposuit: ita & omni occasione commendabat serio, & tantò interdum impensius, quanto eum tractari observaret negligentius. Nam hoc sapiebat Vir sapiens, eos, qui se à veterum lectione vel abstinent, vel absterrent, ad omnis solidi cognitionem sibi viam obstruere, atque interim se pascere aliquando dis[illegible]ituris. Nam ea sors plerarumque novitatum est: & solet, qui novum gustat vinum, dicere, vetus est melius. Verum est, & grati agnoscimus, multa nos posteritati, plurimaque hujus præsertim seculi Naturæ Scrutatoribus debere, quæ esse ex usu Medicinæ queunt. Verùm, inter multiplicem illum profectum, Hippocratis in tradendis Medicinæ præceptis tum ratione fundata soliditas, tum experimentis comprobata veritas, tum linguæ omnibus gratiis exornatæ venusta gravitas, suam facilè retinet & retinebit auctoritatem.

Et talis quidem ὁ μακαρίτης in publica hac Academiæ orchestra apparuit. Privatim autem fuit minimè tetricus, sed hilaris plerumque, & nihilominus serius, & φιλόφιλος valde. Extremis annis insomnia eum, & calculus, & arthritici subinde dolores inceperunt molestè habere. Nuper autem

autem maceratus diuturno filiæ morbo ac mærore, quem tamen fortiter comprimebat & dissimulabat, fastidire omnē cibum cæpit, neque fere quidquam, quantumvis olim placitum & suave, admittere præter potum, quem & pene unicum aliquot septimanis habuit sui corporis tum solatium adversus urgentissimam sitim aridamque linguam, tum sustentaculum virium paulatim defetiscentium. Quæ mala, quod inde ab initio valetudinis essent sine febre (ut retulit mihi Vir experientissimus & in medendo felicissimus, D. DANIEL DE DIEU, familiaris Defuncto Medicus) nihil τῷ μακαρίτῃ boni præsagiebant. Quippe *lingua* (si hoc interponere ex dictatore nostro licet) *quæ initiis morborum rigidiuscula est, sed in colore manet, labentibus inde diebus exasperatur & livescit finditurque, mortifera.* Ad quæ accessit anni tempestas varia & à se ipsa prorsus mutata, & senibus inprimis incommoda. Ita inter focum & lectum se fortiter sustinentem, & sua amicorum visitationibus tædia minuentem invasit novissimis diebus febricula, maligni & clandestina uredine corrupti humoris effervescentia. Tum lingua nigra, & lecto noster in totum affigi.

Intervenerat aliquod serenum, quo etiam in publico visus est. feceratque spem, eum discrimen evasisse. At aliter visum DEO creatori ejus & fidelissimo Patri, cui vivimus, cui morimur, quotquot piè & vivere & mori studemus. Huic ergo cum placuit eum ex hoc ergastulo & vanitatis Scena in tranquillam piarum mentium sedem transferre, facile istud serenum disparuit. Igitur sexto hujus mensis die, quum pridie ad eum invisissem & valentis instar accinctum reperissem, lecto affixus mansit.

Ita viribus, præsertim ex Ischuriæ, quæ supervenerat, cruciatu in horas decrescentibus, & coercita loquendi facultate, tertio die, antequam quartus oriretur sol, animam DEO reddidit: visitatus interim à Collegis & amicis, quorum sermones de spe & desiderio Christianorum, de æterna felicitate, de vera justitia, de filii DEI beneficiis, quibus se pius animus in ipsa morte solatur, avidè excepit, &, quantum infirmitas sinebat, assensu & confessione prosecutus est. Mihi quoque, horis admodum ante excessum novem, supremi Vale vicem ei dicenti, D. JESUS tibi sit ad dextram & salutare animæ tuæ, annuit propensè.

Ita noster & vivens & moriens exemplum dedit, quod ante oculos habeamus, ut nos ad omnis decori honestatem, ad multorum utilitatem, ad bonorum dilectionem, ad patriæ & spartæ, quam in ea nacti sumus, exornationem, ad mortis denique meditationem, illiusque vitæ, quæ morte resignatur, quæstionem sollicitam nos esse natos agnoscamus, atque hoc agamus, ut, quum venerit Dominus, servi fideles inveniamur. Quod si fecerimus, satis à me dictum est hoc tempore, quamquam non satis pro merito Defuncti, & singulari debito meo erga eum, cujus voto & consilio atque commendatione in hanc Academiam me vocatum esse, ingratus essem, nisi agnoscerem. Cujus quidem memoriam ego gratissimam servabo, quamdiu vivam, quin eam omnes ut benedictione prosequamur, & nobis, & quibus animus lævus non est, præstantissimi & desideratissimi Viri virtus injungit. DIXI.

SCRIPTA.

Oratio funebris, recitata in exequiis Viri Incomparabilis, D. Petri Cunæi, Juris & Polit. Prof. primarij: *Lugd. Batav.* 1638. in 4.

Oratio funebris, in excessum Literatorum Principis, Claudij Salmasij, habita: *ibid.* in 4.

Recognitio versionis Jo. Opsopæi Aphorismorum Hippocratis: *ibid.* 1628. in 32.

Catalogus Plantarum horti Academici Lugduno-Batavi. Accedit Index Plantarum Indigenarum, quæ prope Lugdunum in Batavis nascuntur: *ibid.* 1643. in 24.

Disputavit in publico Lyçéo de Motu: De Dysenteria: De febri tertiana intermittente exquisita: De Epilepsia: De λειεντερίας: De Incubo: De Spiritibus: De Pleuritide vera: De Purgatione: De Plica Polonica: De Angina vera, &c.



JOHAN-

JOHANNIS COCCEI
S. Theol. D. & Professoris
ORATIO
IN V. C.

JOHANNIS ANTONIDÆ VAN DER LINDEN,

Medicinæ Practicæ Prof. primi,

FUNERE,
Dicta 11. Martij A. M. DC. LXIV.

Magnifice Rector, Amplissimi, Prudentissimi, Consultissimi hujus urbis Prætor, Consules, Senatores, quiq; iis à consiliis & secretis estis; Professores celeberrimi, collegæ conjunctissimi; Amplissimi, spectatissimi, reverendi, consultissimi, defuncti Collegæ cognati & amici; Ecclesiæ Pastores venerandi, Doctores clarissimi, consultissimi, experientissimi, excellentissim[illegible] Viri, qui adestis, honorati; tuq; nobilissima ornat[illegible]orum juvenum corona.

Nos quidem [illegible]mus, si id vivere est, laboribus fatigari, stomachum ruentem cibis fulcire, corpus gerere debile & omnibus injuriis obnoxium, somno viriculas colligere, somniis ludi, in momenta omnia dura atque aspera exspectare, ea experiri quotidie & spectare in sui similibus, à notis atque amicis divelli, mortuos sepelire, & superviviendo junioribus thesaurum dolorum, ægritudinum, lacrimarum, singultuum, suspiriorum lucrari. Sed tamen vivimus, si non cum mortuis sumus, ut mortui, & eos non sepelimus, ut mortui. Est enim & viventium quædam mors; gerere animum humi defixum, ad res inanes & frivolas projectum, præterpropter vitam vivere, nec ulli utilem esse, nec sibi, ignorare veras suavitates, & non gustare fluvios torrentes mellis & butyri, quorum fontes non sunt in terra. Est vicissim & moribundorum vita, quam non

velint commutare cum robore juvenum, cum ulla delectatione oculorum, vel demulſione aurium, vel gulæ titillatione. Neque enim illa materiam vitæ habent, quæ in promptu ſunt & patent in hujus mundi proſcenio, claritatem Solis, Lunæ blandos vultus, micationem ſtellarum, virorem terræ germinum, varietatem florum, lucem tenebris, calorem frigore, ſerenitatem tempeſtatibus diſtinctam; panis carnium, mellis, aromatumque ſapores; odorem agri, minuritiones avium ſonos organorum, ſtrepitum urbium, quæq; tetram inferorum ſcrutantibus caliginem promuntur, & per mortes advehuntur, auri pallorem, argenti candorem, gemmarum nitorem, neque etiam manibus ſtructarum ſplendorem domorum, vel precioſitatem veſtium, ullarumque formarum novitatem aut concinnitatem: nedum ſermones hominum maledicos, ſtultitia ridiculos, impuritate abominabiles, fraude fallaces, calumnia veritatis & ſuaſioni mendacij atque injuſtitiæ peſtilentes. Quemadmodum enim in ſe ipſi inveniunt animum illis rebus meliorem & ad pulchriora atque nobiliora ſuſcipiendum ornamenta aptiorem, quàm ut paſcatur & exatietur illis omnibus, quæ etiam diu, eis fruens, ſuſtinere non poteſt, quin moleſta fiant, etiamſi primo allapſu fuerint jucunda: ita ſentiunt, eſſe aliquid nobilius atque præcellentius, cujus luce illuminari poſſint, qui ſit ſuus cibus, quo frui ſit ſua vita; cum nempe, qui ut effecto[illegible]mnium, ita æternum & perfectiſſimum bonum eſt, D[illegible]M. Ita enim judicant, vivere ſuum eſſe jucundiſſim[illegible]e. Quare, ſi ab animi actione abſit quies, ſtabilitas & perpetuitas, adſit autem vel dolor vel metus vel pœnitudo ac pudor & exulceratio; vel deſiderium atque inquietudo: non poteſt animus, ſe vivere, vel ſe ſuis ornamentis decorum, ſua luce illuſtrem, ſuis bonis divitem, ſibique ſui plenum ac ſaturum reputare: quinimò, etiamſi ſe referſerit omnium eorum, quæ foris ſunt ſenſuſque laceſſunt, cupiditate, vacuum tamen ſe, imo mortuum, deprehendit. Nihil enim in ſe, ſi ſeipſum introſpiciat, invenit dignum amore ſuo atque lætitia: invenit autem in ſe cupiditatis ſtultæ pruritum, ardoris in vanitatem maculas & ſtigmata, ſui tædium & lucis fugam, indignitatem amoris ac laudis, odii dignitatem, denique, ut ſpiritale cadaver, ſe ipſe faſtidit, neque libenter contemplatur. Qui igitur cum tali ambulant animo, etiamſi vivere videantur, mortui ſunt. Nam, qui motus in iis eſt, eſt ut

cadaveri

cadaveris in vermes cum diro putore effervescentia. Hanc mortem sentiunt in se, qui vivere cœperunt. Quemadmodum enim in corpore, quæ membra vitam spiritumq; perdiderunt, etiam sensu carent: ita animus emortuus ipse suam mortem ultrò ignorat, imo in lapidem induresçit, imò mortem suam vitam esse sibi persuadere conatur; &, si quid in eo superest ab animi vita, DEO, aut, si ei nolenti radii lucis ingerantur, tanquam mortem abominatur & exstinguere laborat, conscientiam nimirum & bonum DEI verbum. Quod etiamsi aliquando cum gaudio audiverit, & non cognoverit esse morti suæ tollendæ, ubi gaudium illud cum gaudio propriæ mortis ac cupiditatis fervore conjungi amplius nequit, in acriorem tristitiam & odium efferatius vertitur. Ita bis emoritur. Sed, quibus cœlestis gratia & potens manus succurrit, ij, dum incipiunt videre fontem omnium bonorum, eundemq; perfectissimam charitatem, non minùs atque incontaminatissimam lucem h.e. amatorem veritatis, sanctitatis ac justitiæ, ejusque testem atque vindicem rigidum; simul incipiunt vivere, h.e. bonum suum cognoscere, & lucem illam, sive sanctitatem, quæ est charitas, amare; simul, se mortuos fuisse, sentiunt atque animadvertunt: atque ex eo non desinunt interficere, quæ erant mortis, & animi artus q. σφακελισθέντας per vitam novam excitare, & sanis motibus exercere; & putredinis suæ insidiosas nimium & in Spiritum DEI contumaces reliquias exhorrescere, & cum S. Paulo ad DEUM opitulatorem identidem exclamare: *Me miserum, quis me eripiet ex corpore hoc mortis!* Ex quo efficitur, ut in corpore mortali habitent, non quidem ut clauso obseratoq; & squalore ac tenebris horrente carcere (quippe quod corpus Spiritus DEI templum suum fecerit & menti sanctificatæ ad ministerium subjicere inceperit) sed tamen, ut ergastulo, aut carcere aperto, ex quo carnifex non penitus ejectus est, aut ut in domo vitiū faciente, quæ, nisi destructa, corrigi non potest, ideoq; gravati suspirent perpetuò; non quidem tanquam fastidientes opus DEI, quod sibi in inferioribus hisce impositum vident, ut nomen Salvatoris & Sanctificatoris sui celebrent, & virtutes ejus annuncient; & regnum ejus amplificent, & utiles sint iis, qui ipsorum amori à natura & à DEO benignissimo patre commendati sunt: nedum tanquam metuentes inde proficisci, ubi gratia & φιλανθρωπία Dei ipsis illuxit; quasi tum nudi essent futuri extorresq; domus DEI, aut

in carcerem ex carcere detrudendi: sed desiderantes intrare in penitissimum domûs DEI; in cujus vestibulo collocati sunt; quam vident patentem & à Servatore suo & Domino pro se occupatam, unde pignus hæreditatis, Spiritum renovationis, acceperunt; ubi sciunt esse oculum pastoris sui, qui ipsos custodit, & manum, quæ eos attrahit, unde voces DEI sui & Patris sui & Domini sui & Fratris primogeniti, quas in cordibus scriptas habent, exaudiunt; ubi norunt esse omnes filios DEI, quos terra non amplius videt: DEI, inquam, cujus profunditates scrutari eum, qui in ipsis non loquentibus per suspiria eorum loquitur & interpellat, minimè ignorant: atque ita mortalitatem cum vita immortali & incontaminabili commutare gestientes. Suspirant igitur, quia vident ante se memetam suam, & exporriguntur ad eam, & eam amplecti cupiunt: gravantur autem, quia sine timore esse non possunt, dum vetus leti imperator tentat & manus injicit, dum frangitur carcer suus, dum is negocium facessit & justam sui curam flagitat, dum turbatur ipsorum in lucem intentio, dum impeditur opus lucis, dum amori non satisfacit, quod faciunt, dum dolent aliorum jacturas, dum improbitatis conflictu exercentur ad patientiam & experientiam suæ fidei ac charitatis, dum pro suis necessitudinibus solliciti sunt, dum pavoribus improborum & judiciis intersunt. dum nomen DEI blasphematur, dum consortes regni non nisi tenui nota cognoscunt, dum in mundo ambulant personato & picta fictaque, non veras hominum facies, vident, mundumque illum occultum, nisi quatenus is se prodit verbis ac factis, non cognoscunt. Unde fit, ut sæpe associentur sui dissimilibus, & imprudentes ab illis vel contagium aliquod accipiant, vel prodantur, vel peccati aliquo consortio coinquinentur, atque ita cogantur cum illo divinæ mentis conscio Rege dicere: *Quis mihi det pennas instar columbæ, volem & procumbam, imo in longinquum extendam fugam, pernoctem in deserto: accelerem effugium mihi præ vento ferente, præ turbine.* Est enim profectò aliquis *ventus*, est procella, est vortex, quo rapiuntur, torquentur, auferuntur animæ DEI inanes, cujus potestatem habet DEUS hujus mundi: qui etiam bonos afflat & concutit & tantùm non prosternit. Quibus omnibus perpensis, facile est judicare, quomodo ij, qui stant & contuentur dilectorum suorum fracta turguriola, eaque telluri commendant, animati esse
debeant

debeant, ne videantur mortui sepelire mortuos, neq; etiam injuriam faciant iis, qui non mortui sunt, sed DEO suo vivunt. Nam, si ipsi mortem horremus, ut ademptionem vitæ, non, ut ἀνάλυσιν ac discessum ex corpore mortis, & profectionem in patriam & εἴσδυσιν ac penetrationem tabernaculi, quod ex cœlo est, sive introitum in Sanctum Sanctorum, expetimus atque excipimus, mortui sumus. Quos autem nimium lugemus atque deploramus, eis injuriam facimus, vel quasi indigni essent, qui credantur esse in vita, vel quia illos malumus nobiscum esse in discrimine, quàm apud Dominum suum esse in tuto. Agamus igitur & nos ita, A. qui viri egregij exuvias paulo ante terræ mandavimus. Ostendamus, nos vivere, in spe, & viri optimi abitum à nobis ut triumphum prosequamur. Quanquam enim multa sint, quæ dolori esse possint multis, sive spectes familiam, & cognatos, sive amicos & collegas, sive studiosorum exspectationem & vota, sive Academiæ splendorem & celebritatem, sive multorum salutem, sive artis, quàm diligentissimè tractavit & acerrimè scrutatus est, illustrationem & exornationem, sive utilitatem boni Civis, sive decus honesti inter pios exempli, & efficaciam vitæ integræ ad redarguendum mores dissolutos: ita ut multis nominibus immatura & acerba debeat videri, & non nisi tristis ac luctuosa haberi possit charissimi pignoris ablatio: neque ineptum sit multorum deplorare damna, & cum flentibus flere: tamen libenter animum ab ea cogitatione abduco, quem molliorem atque teneriorem gero, quàm ut de dolore meo & luctu bonorum, licet Christiana Philosophia præmunitus, loquendi præbeat constantiam. Atque utinam mihi liceret hac hora tacito meum devorare dolorem, & non meam imbecillitatem ac tenuitatem publicare oratione conturbata & minimè pari meritis & dignitati Viri excellentissimi. Sed enim non denegandum fuit laudationis officium ei, qui id ante paucos menses Collegæ quondam conjunctissimo Adolpho Vorstio prolixo affectu præstitisset: neque mihi committendum fuit, ut viderer deesse partibus & amici per quinque & viginti annos familiarissimi, & hominis grati. Sostrum enim ei debeo mei meorumque omnium (ne ancillis quidem exceptis) curatorum & feliciter recreatorum ex variis & gravibus morbis. Præterea toto tempore, quo una viximus, expertus sum eum mei amantissimum, & ad omnia commoda mea meorumq; in-

vigilantem. Habui eum teſtem & inſtigatorem ſtudiorum meorum, ſcriptorum meorum & lectorem & cenſorem, denique, ſupra merita & uſque ad ruborem meum, profuſum laudatorem. Quum igitur ipſe eum non minus multas ob cauſas diligerem, & à vivente ac valente intellexiſſem votū ejus, ſi contigiſſet eum priorum decedere; idque, quos reliquit ſuperſtites, ſibi in mandatis datum à defungente ut à me peterent, ſeriò affirmarent, deniq; Senatus ampliſſimus mihi, ut id facerem, proclivi affectu auctor fuerit, nequaquam potui defugere hanc provinciam, quam me implere non poſſe ſat ſciebam. Neque enim facile eſt dicere de iis, quorum vita non eſt inſignis notabilibus caſibus aut rebus magnis geſtis, quales ſunt urbium expugnationes, prælia, populorum ſubjectiones & ἐξανδραποδισμοί, legum lationes, civitatum erectiones, aut ſi quæ alia ſunt, quæ hiſtoriæ crepant. Natus eſt ὁ μακαρίτης in ea tempora & in eo loco, ubi ruinas regnorum & motus populorum audiret quidem, ſed non videret. Ita placuit divinæ providentiæ avi proavique ſeculum à nepotis tempore diſtinguere: ut illi quidem ætatem ſuam per ſua recenſerent pericula, & calamitates: hic autem per longinqua; & poſitus in pace, quemadmodum Scriptura amat dicere, *butyrum & mel comederet*, & alios quidem ad dextram, alios ad ſiniſtram cadere videret, malū verò ad tentorium ipſius non accederet (ut eſt in Pſalmo) & non quidem immunis à communi ſollicitudine & συμπάθεια & conſideratione judiciorū Dei & timore, quem meritò cuivis pio inurit obſervatio vulgaris ingratitudinis & protervìæ, quæ iram DEI provocat (de quibus rebus ei frequens ſermo fuit) ſed tamen immunis eſſet à periculo, calamitate & moleſtia, ita ut ipſius virtutes intra theatrum conſcientiæ tum propriæ tum eorum, quibus per occaſionem artis innotuit, & eorum animi, quibus ad ſapientiam Medici præluxit, propemodum conſtiterint. Quod genus vitæ nemo negaverit minus quidem eſſe ad famam, & φρύαγμα atq; jactantiam, ſed longè majus ad lætitiam & beatitudinē: & habere quidem laudem innocentiæ & bonæ fidei apud Deum & probos, non verò admirationem in vulgo: niſi quatenus manifeſta ſunt dona Numinis, quibus fideliter diſpenſandis vitā ſuam & opportunitatem omnem collocant atque impendunt, quibus ita vivere clementia divina conceſſum eſt. Fuit aliquando tempus, quum in hiſce terris aliter viveretur: quando amare verbum Dei, nomen Dei nominare, laudes

ejus prædicare, à malo recedere & se castum servare ab idololatria & nequitia capitale fuit. Eo tempore vixit avus τ̃ μακαρίτȣ Henricus, Antonij filius, Henrici Regneri nepos Nerdenus. Est Nerda oppidum non inelegans, Goylandiæ metropolis, Geldriæ & Ultrajectinis propinqua, juxta lacũ Flevi. Henricus Regnerus abavus Civis Hardervicenus fuerat: qui, opibus accisis, quum domus ipsius incendio Civitatis Hardervicenæ consumta esset, Nerdæ consedit. Proavus Antonius in ea civitate omnibus gratissimus fuit, Cantor in Choro & Ludimagister (collega Lamberti Hortensij Viri eruditiss. quem sibi superiorem adjungi à Consulibus impetraverat) & secretarii partibus fungens: sacris Papist. diu immixtus; nisi quòd de Justitia Dei, h.e. jure filiorum Dei, quod in Christo per fidem, per Spir. ipsius unum corpus cum ipso facti, obtinemus (qui relig Christianæ apex est) integram semper habuerit sententiam. Uxor ei fuit Henrica, Hermanni Losdrechtani filia, Viri justitiæ amantissimi, qui nec pecuniam fœnore occupare sustinuerit, quia id illicitum putaret, & hæreditates satis opimas repudiaverit, quia non satis rectè partas judicarat. Ex his parentibus natus est Anno seculi superioris quadrages. & sexto Henricus avus, vir æterna memoria dignus, qui ingenio ad res cognoscendas aptissimo, memoria admodum tenaci, & eloquio facili ac perspicuo, animi fortitudine ingenti præditus, & amans bonæ conscientię à pueritia, incredibili studio linguam Latinam, Græcam, Hebræam, se ferè magistro, initio quidem in Monasterio Aldenerdensi, in quo de vera religione institui cœpit, deinde verò (postquam statuisset nihil commune habere cum superstitione Romana & legibus hominum) inter ærumnas, ministeria, manuale opificium, fugas, exilia, penuriam & famem, cum omni eleganti scientia ac historia, & imprimis veritate divina, didicit; nulli odiosus, nisi iis, qui ipsum ad societatem nequitiæ & idololatriæ pertrahere non possent: dum juvenis esset, utilis Ecclesiæ oppressæ docendis eorum, qui ob veritatis amorem persecutionem patiebantur vel latebant, pueris, nonnunquam etiam coram multis disserendo. Quam tamen operam in Orient. Frisia Dijckhusæ & in ditione Dynastæ Gödensis præcipuè exercuit: jam maritus, ducta uxore Ludovica, Herberti Wijncoop oriunda ex non ignobili in Gelria familia dominorum Castri Wijncoop. Eam virginem primùm in navi, cum eam recepisset in multitudine, ut solet, arctiùs

sedere

sedere renuente, ob pietatem amavit & conjugem optavit, ac deinde à parentibus impetravit. . Cum ea multas est passus angustias & pericula. Ex ea suscepit filium primogenitum Antonium, τ͂ μακαρίτȣ parentem, in communes miserias. Quæ mirum in modum auctæ sunt, quum intellexerunt fortunam patriæ civitatis, in qua jam plurimi cognoverant veritatem, atque etiam parentes, gavisi jam filii sui studiis, quæ ipsos aliquando in eum irritaverant. Laniena Parisiensi nudato Regis Galliæ animo, terrore maximo completis Belgis, Zutphaniâ captâ, omnes trans Isalam & agri Trajectini urbes obviam Hispanis claves tulere. Sola Nerda portas clausit militum primis, donec integer exercitus adventasset. Ita pacti de conditionibus Hispanos admittunt. Qui immemores fidei datæ cives ad curiam convocatos trucidant; curiam, urbem incendunt. In ea strage periere pater, socer, affines, cognati: anno præteriti seculi septuagesimo secundo. Hic sanguis, hæc flamma toti Reipublicæ saluti fuit. Nam, quos pactis non stare videbant, eos omnibus viribus propulsare non destiterunt obstinati omnes, donec eis DEUS hæc pacis Halcyonia & libertatem non controversam concessit. Utinam verò illa tempora nunquam nobis ex memoria delerentur; semperque cogitaremus, quantum intersit, inter servitutem DEI & servitutem hominum: ne, dum servimus mundo, non DEO liberatori, libertatem tanto impendio partam, quod absit, amittamus. Cæterum ego hæc præterire non potui, quia hæ sunt imagines, quibus ὁ μακαρίτης condecoratus est, hæc exempla, ad quæ formatus est, hæc incitamenta ad amandam patriam & libertatem colendi DEUM veritatemque ejus profitendi & conscientiam non offendendi. Avus post illa ab anno septuagesimo octavo Enchusæ Ministerium Sacrum obivit, summa cum omnium dilectione: unde tamen anno octogesimo quinto coactus est abire, vocatus Franekeram ad professionem Theologiæ primariam, quam Academiam ipse initiavit oratione prima, & lectione. Atque in ea functione diem suum obiit Anno hujus seculi quarto decimo: vir sine dubio cum non infimis sui seculi comparandus. Hujus plures filii fuere, Viri omnes honorati & utiles Ecclesiæ, nominatim Herbertus Pater Reverendi & optimi viri, D. Hermanni, quem hîc inter consanguineos præsentem videtis, Ecclesiæ Hagiensis Ministri fidelissimi. Deinde Clemens, cui postea Hermanni

manni nomen propter memoriam fratris prædefuncti, admirabili ingenio pueri inditum, Ecclesiæ Nerdenæ Pastor, quondam Collega & Sororius Reverendi Viri, quem Seniorem, ut nostræ Facultatis in hac Academia, ita in Ecclesiæ hujus Ministerio amamus & veneramur, D. Abrahami Heidani, cui adhuc plures annos & non gravem senectam bono Ecclesiæ precantur omnes boni. Cæterum Pater τȣ̃ μακαρίτȣ Antonius, Vir incomparabilis, ingenij supra communem sortem vividi, probè educatus à parentibus, Latinæ Græcæque linguæ, bonarum artium, poëseos, ita gnarus fuit, ut ab Enckhusanis ad regendum Gymnasium vocatus sit, eique rei operam dederit cum laude. Hisce adjecit Musicam artem vel potiùs scientiam, & ὀργανοπαιΐαν atque organi pulsandi peritiam. Neque secius excoluit Theologiam. Habeo domi totam Theologiam per tabulas ab eo minimum ineptè nec sine accurato judicio dispositam, eleganter ipsius manuscriptam. Maximè se tamen impendit in artem Medicam. In qua facultate gradum magna cum laude & gaudio parentis obtinuit in Frisiorum Academia Anno hujus seculi octavo. Ex quo tempore Medicinam fecit primò Enckhusæ, deinde Amsterodami; magna non minùs cum felicitate, quàm prudentia & sagacitate. Quod non modò ex filio sæpe mihi auditum, sed etiam locupletissimis testibus. Ex quibus memini me percepisse, ejus prædictiones imprimis non fuisse fallaces, Quæ res maximè ostendit artis peritiam. Conjux ei secunda fuit Sara Sweerts de Weert, fœmina prudens, pia, cordata, egregiè morata. Quam cognovisse & cujus memoriam animo retinere mihi non exiguæ voluptati est. Cujus etiam extrema de pietate deque regno CHRISTI colloquia animo meo infixa sunt. Erat ea ex Patritia & perantiqua Bruxellis prosapia Sweerdiorum, sive Gladiferorum, octava proles Johannis de Weerdt (qui an. 1585. inter Magistratus Antverpienses fuit) & Claræ Wonderer. Fratres habuit, ut & sorores, bene multos, per quos familia & cognatio valde est amplificata. Unde affines censebat defunctus eximios Viros, & inter eos quosdam, quos mihi etiam licuit nosse. Inter avunculos fuit Rolandus de Weert, Consiliarius & Fiscalis Brabantiæ. Ejus gener unus fuit Amplissimus Vir Jasperus van Kinschot, Curiæ Hollandicæ Senator, cujus filius primogenitus in Curia Brabantina Senatorem agit prudentissimum & integerrimum, cæteri ad honores

nores amplissimos per paternarũ virtutum vestigia grassantur; filia nupsit Johanni Halling. Consuli Hagiensi; alter Imannus Cau, Curiæ supremæ Graphiarius. Neque prætereundus mihi Vir Reverendus Jacobus Rolandi Eccles. Amstelodam. Doctor, inter Novi Testam. versores censsus, matertera maritus. Fuit inter avunculos τȣ̃ μακαρίτȣ Sebaldus de Weert celebris præfecturâ Classis, quæ sub auspiciis Reipublicæ Fretum Magellanicum scrutatum profecta est Anno superioris seculi penultimo. Quam scrutationem fidelissimè & accuratissimè peregit: & cum variis miseriis luctatus in patriam rediit, relicta sequentibus commodioris viæ inveniendæ felicitate. Postea in Taprobane Insula, quæ nunc Ceylon dicitur, jussu suspicacis reguli, in cujus gratiam quatuor Lusitanas naves ceperat, inter amica colloquia cum multis trucidatus est an. 1609. Fuit & David de Weert Senator Sylvæducensis, vir magno rerum usu & prudentia ac gravitate singulari, cujus altera filia nupsit Petro Schuyl van Walhoren, Senatus Sylvæducensis præsidi, bonorum Ecclesiasticorum quæstori: altera Johanni van Beveren, Tribuno vicario Gertrudismontis Gubernatori; filio Nobilissimi D. Cornelii van Beveren, viri multis dignitatibus illustris, & diu Academiæ hujus Curatoris splendidissimi. Ex proavi fratre affinem salutavit Amplissimum virum Justum de Hubert, Secretarium Civitatis Zirizeæ, ad potentissimum Galliarum Regem nuper legatione nomine Reipublicæ cum dignitate functum. Sed cogor vela contrahere, ut tandem τȣ̃ μακαρίτȣ, de quo non libenter hoc loco verba facimus, vitam perstringamus. Is igitur anno hujus seculi nono ex parentibus optimis mensis Januarii, die tertia decima in lucem editus est cum Hispaniæ Rege initio induciarum Enckhusæ, quæ prima Hollandiæ Civitas libertatem apprehendit, atque ibi libertatis amori innutritus est. Unica cura parentum fuit. Post rudimenta literarum in patria posita, decennis commendatus est institutioni patrui Hermanni apud Nerdenos verbi divini ministri. Apud quem biennio tantum profecit, ut domum reversus traditus sit erudiendus Scholæ Rectori Gulielmo à Niewenhuysen Viro undiquaque doctissimo, qui inter Revisores versionis Novi Testamenti deinceps sedit. Ejus institutione triennium usus est, atque ita sub eo profecit, ut tum à Rectore, tum à Scholarchis judicaretur idoneus, qui Academicis studiis admoveretur. Sed ex ludo literario dimis-

sus

ſus in graviſſimum incidit morbum, ex quo demum ſequenti anno convaluit. Ita domeſtica & q. paterna inſtitutio per morbum finita eſt. Noluit DEUS deeſſe ſuis partibus: ſed in adoleſcentiæ finibus per afflictionem corporis ei cœpit cogitationem firmam melioris vitæ infigere, & experientiam fidei, quam ab utroque parente hauſerat, largiri, eumque ad veram Philoſophiam, imò vitam, quæ eſt *μελέτη τοῦ θανάτου*, *moriendi*, ut ita dicam, *uſus & exercitium*, præparare. Et certè crebris ἀσθενείαις & revera infirmationibus corporis didicit, quàm parvi eſſet roboris, & ut longævitatem ſibi non promitteret. Circa id tempus pater familiam Amſtelodamum tranſtulit. Ergo Collega *μακαρίτης* menſe Octobris anno 1625. ſexto decimo ætatis anno Academiæ hujus civis factus eſt. In ea Philoſophiæ præceptis imbutus eſt à Clariſſimis Viris Gilberto Jacchæo & Francone Burgersdicio. Qui cùm collegium publicum diſputantium inſtituiſſet, ſub eo bis reſpondit, de motu & anima vegetante. Cujus Collegii membrum & τοῦ *μακαρίτου* commilito, atque ex eo tempore amicus ſincerus fuit Ampliſſimus Vir D. Daniel Colonius, hujus Academiæ Profeſſor celeberrimus. Poſt deinde, etiam Mathematicis non neglectis, animum totum applicuit Medicinæ. Quæ ſive ars ſive ſcientia, ut in confeſſo eſt, divino munere eſt mortalibus data, ad inſigne miſerorum ſolatium & Reipublicæ inæſtimabile bonum. Equidem ſum in illa ſententia, quando Apoſtolus inter dona ſpiritus numerat *ἰάματα ſanationes*, eum non tantùm miraculoſas, quales ad pellendum ſtuporem infidelium aliquando fiebant, ſed etiam illas, quæ prudenti uſu remediorum fiunt, intellexiſſe. Quemadmodum enim donum linguis loquendi eſt &, quod ſubitò accipitur, ut Apoſtoli id acceperunt, & quod ſtudio paratur; & donum prophetiæ & ſermo ſapientiæ ac prudentiæ utroq; modo datur per eundem ſpiritum: ita ſanatio corporis, quæ ſine remediis fit, &, quæ per medicam manum, utraque & hujus ſcientia ac felix actus à Spiritu Dei eſt. Deus, ut hominem vivere facit non tantùm ſine pane, ſed & per panem: ita ſanat & ſine herbis & per eas. Quemadmodum autem apertum eſt, alios cibos aliis vel ætatibus vel temperamentis hominum eſſe paratos: ita negari non poteſt, alia ſanis, alia ægris convenire, mirabilemque eſſe in eis, quæ in hominem ingrediuntur, ad movendum mutandumque ea, quæ in homine ſunt,

quæque

quæque ipsum ægrum ac languidum faciunt, efficaciam, præterquam, quòd & morbi suis quodammodo regulis & mensuris incedunt: & ipsa, quæ apponuntur corpori & quæ exterius sunt, in sanum & in id, quod labefactum est, valere, vel ad recreationem vel ad noxam. De quibus rebus dicere supersedeo, ne videar ineptus, si velim id persuadere, qupd omnibus est persuasissimum. Habuit ὁ μακαρίτης Medicinam pro vera arte. Id credidit Hippocrati, credidit patri, credidit rationi. Credidit tamen, esse artem profundam, variam, difficilem; sive spectes morborum naturam, & eorum cognitionem, sive remediorum proprietatem & commoditatem, sive utendi καιρὸν atque opportunit tem, sive sanitatis tuendæ prudentiam. Credidit, ejus & peritiam & prudentem usum esse donum DEI. Ideoque & animum ita erga DEUM & erga proximum composuit, ut ad juvandum miseros à miserorum unica rupe & curatore scientiam, prudentiam & sagacitatem impetraret: & studio ingenti cùm mutos Magistros tum etiam vivos & ingenio atque peritia prælucentes complexus est. Sectatus est igitur enixa industria Viros Clarissimos & Doctissimos, quibus tum Academia hæc luminibus gaudebat, Othonem Heurnium, Evvaldum Schrevelium, Adrianum Falcoburgium, & Adolphum Vorstium. Anno nono & vigesimo, ætatis vigesimo, quum Patri videretur non inutiliter tempus in Academia hac trivisse, missus est ad Academiam Franekeranam; eam ob causam, quòd & Pater in ea titulum Doctoris adeptus esset, & Avus eam suis dotibus exornasset. Ibi hospitem & præceptorem habuit Virum Clarissimum, Doctissimum, Peritissimum Menelaum Winsemium Medicinæ Professorem. Sub cujus præsidio de omnibus Medicinæ partibus propositas à se meditationes decem Disputationibus magna alacritate nec sine laude pertractavit. Deinde, quum se examini subjecisset, dignissimus judicatus est, qui titulo & honoribus Doctoris potiretur: & solenniter 19. Octobris Doctor renunciatus est. Hanc promotionem insecuta est febris quartana, exercendo novo Doctori comparata. Ea sub ver proximum remittente, Patris ductu incepit Medicinam facere, usque ad annum hujus seculi trigesimum & tertium ætatis quartum & vicesimum. Atque ego credo, ei id tempus ad cognitionem artis & prudentiam fuisse utilissimè impensum, longeque utilius, quàm si per maria & terras famæ celebrium

homi-

hominum inhiasset. Quantumvis enim magnam habeant vim ad animum poliendum etiam peregrinæ virtutes & dotes: (quandoquidem Deus non uni regioni sua dona impertit, aut gratiam adstringit) tamen nihil tanti fuit, ut propterea prudentissimum, certè fidelissimum, præceptorem patrem desereret. Atque ipse erat ea pietate & prudentia, ut patri in omnibus, satisfacere cuperet, & bonum (quod alii peregre quærunt) ac sapientiæ thesaurum domesticum se habere, non ignoraret. Quum igitur Pater anno trigesimo tertio, ætatis sexagesimo tertio diem suum obiisset, solus in curam ægrorum incumbere perrexit. Duxit porrò anno proximo uxorem, lectissimam virginem, nunc mœstissimam viduam; Helenam Grondt, exornatissima & bonorum ferace & præcipuis affinitate innexa familia: cujus soror nupserat, in mea patria Brema, Laurentio Wouters, meo quondam ab adolescentia amico, viro, ut spectabili, ita optimo; ut & affinitate hac beatus esset. Anno 39. seculi hujus ab illustribus & potentibus Frisiæ ordinibus ad professionem Medicam vocatus est. Quam in eorum Academia per annos ferè duodecim solus sustinuit, enixè operam dans, ut Medicinæ studiosi quam minimum desiderarent eorum, quæ ipsis utilia esse possent, se simul & auditores exercens, nec magis promtus ad docendum, quam ad discendum; nec ad discendum, quam ad docendum. Ideoque & lectionibus theoreticis ac practicis, & sectionibus anatomicis & demonstrationibus botanicis magna cura ipsis præluxit. Extant inter schedas ejus orationes & lectiones examussitatæ, dubium pietatem magis an eruditionem redolentes. Quanquam autem eum Academia sic satis occuparet, neutiquam tamen defuit officio inserviendi valetudini primariorum in Republica virorum: præcipuè in metropoli Frisiæ Leoverdia. Erat cum omnibus præcipuis, tum imprimis Academiæ Curatoribus Nobilissimis Renico à Burmania, & ejus successori Joachimo André, Hobbio ab Aylua, Livio à Scheltinga, Johanni Niis, viris sine controversia summis, charissimus & acceptissimus: neque ullus erat inter Collegas, quem non demereri studeret: quibus etiam se probavit, nisi ubi conscientiæ amplius litandum putaret, quam corrupti moris torrenti. Rectura Academiæ ei suffragiis unanimibus Collegarum delata est anno quadragesimo tertio; quam cum frustra, etiam oblata ad ærarium summa auri non mediocri, deprecatus esset, gessit feliciter &

cum laude, nec sine fortis animi experimento. Eo Rectore & favente mihi nec opinanti duplicatam Professionem recordor. Meruit quoque ipsius fidelitas & industria Bibliothecarii munus: quo tam diligenter functus est, ut bibliothecam publicam spoliatam restitueret & exhiberet locupletissimam, per magnatum, quos compellavit, benevolentiam & liberalitatem. Quorum favori & gratiæ erga ipsum debet illa Academia & hortum Academicum mirificè amplificatum & domum in eo splendidam. Igitur quum ipsius virtus & eruditio in tam illustri theatro positæ essent, non latuêre tum Proceres Trajectinos, tum Nobilissimos hujus Academiæ Curatores ac Civitatis hujus Consules. Quorum illi eum anno quadragesimo nono ad suam: hi feliciores anno quinquagesimo primo in hanc celeberrimam & splendidissimam scientiarum officinam atque ingenii palæstram vocarunt, & viris excellentissimis ac doctissimis, Adolpho Vorstio præceptori (nuper à latere ipsius, nobis mœrentibus, avulso) & Alberto Kypero Collegam dedêre. In hoc loco quem se præstiterit, quid attinet dicere? Cui enim ignota est ipsius religiosa diligentia ad obeunda mandata munia? vel privati labores? vel lucubrationes indefessæ? vel studium subveniendi laborantibus? vel honesta & inculpata vita? vel animus tenax propositi & memor jurisjurandi? vel, quam, si omnia, nemo in eo desideravit, integritas & mens seria, aperta, fuco carens atque fallacia? Industriam ejus & multam lectionem & judicium & peritiam suæ artis testabuntur monimenta, quæ posteritati consecravit. Medulla Medicinæ laudata à Vopisco Fortunato Plempio. Medicina Physiologica. Selecta Medica & Meletemata: laboriosa opera & plena nervorum, Consilium item de Hemicrania. De scriptis medicis commentarius ter recusus & auctus. Edidit etiam aliena scripta: Spigelium, Cardanum de utilitate ex adversis capienda, Celsum magna cura emaculatum, quem Latinum Hippocratem solebat appellare. Ipsum denique Hippocratem antiquissimnm & laudatissimum artis Medicæ magistrum ad multos & optimos Codices cum editos tum manuscriptos emendatum non tantùm prelo paravit, sed & commisit, eoque adduxit, ut spes sit, cis paucas septimanas eum in publico appariturum non sine nitore atque elegantia, gratum studiosis & rei medicæ & Græcæ antiquitatis atque rotunditatis. Nisi quis putet, quod

Venu-

Venusinus de Grajis judicat, Coo seni defuisse. Scio, τὸν μακαρίτην multa de variis locis Medicorum principis esse meditatum, & magnam sibi supellectilem collegisse observationum ad hunc Auctorem illustrandum utilium. Quas non potuisse ab ipso edi, dolendum est. Recturam gessit in hac Academia semestrem, suffectus C. V. Alberto Kypero: ex illo tempore non optavit. Amicos (ut, quantum mihi innotuit, dicam) inter artis suæ professores habuit & coluit Amplissimum D. Tulpium, Clarissimos viros, Bodæum, de Vick, Pisonem, Sladum, Amstelodamenses: Plempium, Lovaniensem: postremo Guidonem Patinum Professorem Regium. Liberos reliquit duos filios, Henricum ante hac domi accurate doctum, nunc Patini ab ore pendentem, Medicinæ Candidatum, & Antonium, adolescentem bono ingenio præditum: filias item quatuor virgines optimè educatas, & parvulam unam, quæ modò parentum delicium, nunc matris σπλάγχνα miseratio est. Hæc, A. de vita τοῦ μακαρίτου, exoptatissimi Collegæ & conjunctissimi, dicta sufficiant, quæ satis puto esse dolori, honori non satis. Restat, ut ejus & piam catastrophen tangamus. Tertio & vicesimo superioris mensis ab amico rus prope Harlemum invitatus est, ut de valetudine Viri primarii cum eo consultaret. Ibi inter deambulandum frigore correptus est, & ex eo malè habere cœpit. Postridie, qui erat Dominicus, binas conciones attente audivit: tertiam ne audiret, impeditus est. Die Lunæ officio faciendo vacavit, lectionem habuit, privatæ institutioni operam dedit, & ex Nosocomio, in quo Collegium auctoritate publica habere nuper admodum inceperat, reversus, cum studioso, qui eum domum deduxerat, diu ante fores collocutus est, sui negligens. Die Martis decubuit, & remedia, quæ sibi probata, adhibere cœpit. Accurri, quum accepissem de morbo ejus, die Veneris. Intellexi, febri synocho putrida laborare. Significabat, se ei morbo non fidere. Mecum, ut & postridie cum Reverendo D. Heidano, de divina providentia, de vitæ hujus miseria, de hominis οὐδενείᾳ, de firmitate divinæ gratiæ, de spe Christianorum collocutus est. Interim nulli sudores ex voto, nulli somni, etiam remedio quæsiti, donec vis morbi ingravescere eumque in κάρον conjicere, ex quo tamen subinde excitabatur, interdum turbata mente, sed non diu. Ante extrema enim apud se fuit, & accedentes agnovit, prudenter ad interro-

gata respondit, &, quamdiu potuit loqui, spem vitæ beatæ & voluntatem discedendi ad Dominum omnibus signis ostendit, atque ita instillatæ à parentibus, exemplis domesticis auctæ, Ecclesiasticis allocutionibus educatæ, & verbi divini quotidiana lectione & frequenti repetitione neque segni meditatione & in mysterium DEI inquisitione roboratæ pietatis fructum in terris percepit, ut in certitudine spei se abnegans, & DEUM sanctum justificans ac bonum glorificans, animam suam, ut patri fidelissimo, commendaret. Spirare desiit die 5. Martii post meridiem circa horam tertiam. Memorabile est, quod inter assidentes lecto erat fæmina ex boreali Hollandiæ parte veris eum deflens lacrimis. Quam septennio cum remediis conflictatam, ut ipsa prædicabat, hac hiemo per gratiam DEI restituerat sanitati. Nostrum erit, A. quemadmodum initio dixi, hoc exemplo mortis in morte finitæ, animum habere eorum, qui per hunc tramitem ad beatam vitam, terminum vocationis supernæ, curriculi nostri metam, hæreditatis mansuræ summam, desiderii satietatem, charitatis in fructu veri boni hic in fide amati, suavitatem, & Dei animum impleturi susceptionem, in viva ac forti spe, anhelant atque contendunt; eorumque, qui præcesserunt (condonata communi infirmitate; cujus irritatio sæpe imputantibus imputanda est) cum benedictione nominis eorum meminisse: & ad Christum prodromum atque ἀγωνοθέτην, ad dextram Patris sedentem, uno corde, defixis in eum oculis, magis magisque accedere. Vestrum autem, optimi juvenes, qui Medicæ vos arti dedistis, & præceptore vobis charissimo orbati estis, Deum imprimis timere, ab ejus spiritu munus sanationis petere atque exspectare, per charitatem proximi ad artem discendam & exercendam aniti, denique animum integrum & sanctum, oculos puros, vitam honestam, sermones salubres, medicinam animarum, ut necessarium medicinæ feliciter faciendæ commeatum, parare. Deus autem, qui hæc nobis dedit intelligere, det nos ita hic bene agere & ad se in bona conscientia accedere & in die suo magno irreprehensibiles, indutos filio suo dilecto, in conspectu suo apparere. Amen.

D I X I.

JOHAN-

JOHANNES ANTONIDES VAN DER LINDEN MORTUUS EST.

An mortuus?

SI MORI EST QVIESCERE A LABORIBUS, MORTUUS.
SI VIVERE EST FRUI ASPECTU DEI NON MORTUUS EST SED VIVIT.
Ubi ereptus sed non Orbi ablatus.
VETAT HOC INCLYTA VIRI VIRTUS
MENS COELO RECEPTA;
Terra in Terram rediit.
Manet
PIETAS APUD CONSCIOS
MEMORIA APUD GRATOS
FAMA APUD POSTEROS
Anima inter Myriadas sanctorum gloriose in Cœlo triumphat.
IS NON SEGNI OTIO TORPESCENS OMNES DIES ANNOS HORAS REBUS SEMPER PROFUTURIS IMPENDIT.
Legit ut intelligeret, scripsit ut legeretur
Erecturus sibi industriæ, posteris utilitatis, omnibus imitandum monumentum
NON ARENAS AUT VANA COGITATIONUM, DUBITATIONUM, SUSPICIONUM
Sed marmora materiarum sumsit
Inscripturus quæ perennarent literas non quæ delerentur lituras.
SECULA ELEGIT VICTURUS IN SECULA.
Semperne dubitantes & Platonicos Mundos instaurantes?
O semper pueri! Hoc Ægyptii ad Solonem, hoc tibi à nostro dictum sit.
Quisque scilicet novum sibi mundum, elementa, causas, remedia, morbos, mortes, omnia nova struit:
mox destructurus iterum omnia,
Et hoc seculum vocatur.

SED JACES!

ΚΕΙΤΑΙ ΚΑΙ ΠΑΤΡΟΚΛΟΣ

Commune id tibi cum parvis, medioxumis, magnis.
Sola hæc regula exceptionem non habet

SED JACES IN TUMULO SALUTIS QVIA DEUM COLUISTI.

IN TUMULO FAMÆ QVIA VIRTUTEM AMASTI.

Mors nihil abſtulit niſi quod ſuum erat, peritura brevi, mox reſurrectura omnia.

ERAT IN TE HOFMANNI ILLUD PENETRANS ET ACUTUM

PERSPICUITAS MONTANI EXPERIENTIA CRATONIS

ET MAJOR COI SENIS CULTUS QVAM IN FOESIO.

Quanta reconditæ Lectionis Copia!
Nec Medicos modo in numerato habebas, ſed quicquid uſpiam eruditi & ſolidi ſive antiquitas reliquit ſive recentior ætas ſuperaddidit.

SCRIPTA MEDICORUM QVOT MILLIA DESCRIPSISTI, TOTIDEM MENTE PECTORE MEMORIA US U TUA REDDIDERAS.

Ita aliena legebas diligenter, ut accurate ſimul intelligeres
Obſcuris & nulli hactenus intellectis fax eras præfulgida:
Omnes diſpellebas tenebras luce ingenii & perſpicuitate dictionis

RESTITUISTI DIVINO SENI CIRCUITUM SANGUINIS

QVEM INCURIOSA VETERUM HÆC ÆTAS, PROH STUPOR!

ALIIS ADSCRIPSERAT

Repererant Margaritam in fimeto ignari à quo recondita fuiſſet. Et quid hoc ad illos novos Heroſtratos?
Maneat illa laus qui primus ſcripſit Hippocrati, Lindano qui primus reſcripſit perennis gloria.

TIBI VERO TUMULUM ERIGET ACADEMIA

Non Memphiticas Pyramides

QVIPPE SIMPLEX FUIT TUA PROCUL FUCO PROCUL VANITATE CONVERSATIO.

Non Mausoli luxuriosam molem
MENS TUA ET FAMA TOTO ORBE SPARSA
NON CAPITUR ILLO
QVANTUMVIS MAGNIFICO ARTEMISIÆ
APPARATU
Non Colossum Rhodium
MAJORA TIBI LABORIOSUM TUUM OTIUM
ET HIPPOCRATES
REDIVIVUS PRÆSTITIT.
Studiosa juventus quæ viventem copiosa frequentia coluit
eadem sublatum ex oculis gemebunda sæpe &
errabunda quæret.
UTINAM PAREM INVENIAT!
Sed reliquisti quæ absentis vicem fungantur opera tua
emenda semper & amanda
IN ILLIS TOTUS QVALIS QVANTUS FUIT
LINDANUS SUPEREST.

Memoriæ ergo

G. HORNIUS:

In tristissimum Obitum
Incomparabilis Viri,
D. JOHANNIS ANTONIDÆ VAN DER LINDEN,
In illustri Batav. Acad. Medic. Facultatis Professoris Primarii.

LEIDA *suum Nomen jam dudum æquavit Olympo,*
Sub Geminoque sibi Sole Trophæa videt.
Sexcentis plus clara Viris: Quos atra Cupressus,
Proh dolor! atque Erebi flebilis unda tenet,
Has dederat Laudes non una ex PALLADE *Laurus;*
Hæc propria Phœbi Laurus in ÆDE *fuit;*
Cujus tot Populi vitam duxere sub Umbra,
Hippocratesque suum jactat & Ipse Genus.
LEIDA *tuum Nomen, par Immortalibus Astris,*
Nunc iterum in Cineres cernimus ire suos,
Ipsos Magnates, & Summa Papavera quando
Falce manuque sua Mors truculenta metit,

Et, post VORSTIADEM, *Centum Caput Artibus illud:*
Nunc Heroa Novum *Tartara adire facit.*
LINDANUM *& Fato Batavis subducit iniquo,*
Vultque simul Cunctas hic periisse Deas.
Quis furor, ô Superi! Cognatis parcite, quæso,
Numinibus. Semper nec Iovis ira premat.
COCCEJI *vox Sacra decet, quam vulnere multo*
Saucia Pieridum facta sit inde Domus:
Cui tunc à Frisiis, ut prima pene Iuventa,
Chara fuit tanti Fama stupenda Viri.
Si tibi nec satis est Lacrymarum, ô LEYDA*: Dolorem*
Hunc, inter Druidas, Sequanaque Ipse dolet.
PATINUSQVE, *illic* Pater *&*, Natusque *cruentis*
Hac Lacrymis cupiunt Busta rigare suis.
Hoc agite, Æternas LINDANI *Manibus Aras,*
ILLIUS *& Centum ponite Thura Focis.*

REINERUS NEUHUSIUS.

ΤΟ ΤΙΜΙΟΝ ΤΗΣ ΨΥΧΗΣ.

Splendida quem falsi capiunt tectoria mundi,
Quem fovet ingratis aura maligna bonis:
Huc ades, hic animum sancto compone recessu
Mentis, & erectus sidera disce tua.
Ceu tremulo radios splendescere flumine cernis
Sole repercussos, icta renidet aqua.
Sic in mente bona cœlestis origine flamma
Vibrat, & à summo lumine lumen habet.
Hoc ANIMÆ PRECIUM sublimis imagine lucis
Hæc tibi de sacro pagina fonte refert.
Inspice, cognosces, quo sensu nostra gemenda
Funera, qui lachrymis debeat esse modus.
Terra suum repetit supremo pulveris haustu:
Debita sed cœlo mens super astra volat.
Qualis & hanc vitam LINDANUS morte resignans
Explevit numerum quem sua fata dabant.
In cujus niveum se multa scientia rerum
Abdiderat pectus. Multa decora viro:
FAS ANIMI. PIETAS, vitæ sanctissima custos.
VIRTUS, ad superas dux animosa domos.
Hæc sunt illustri signant quæ limite cœlum.
Hæc secat ætherias LINEA RECTA vias.

Ergo viri tanti mors est toleranda modeste:
Est potius verbis concelebranda piis.

HOC. PLACIDE. TUMULO. LINDANI. MEMBRA. QVIESCUNT.
INGENS. QVI. MEDICA. GESSIT. IN. ARTE. DECUS.
EXIMIÆ. FUNCTI. NE. LÆDAS. IMPROBE. MANES.
SIC. TIBI. COMPOSITO. SIT. QVOQVE. TERRA. LEVIS.

B. CNIPPINGIUS.

SCRIPTA.

Universæ Medicæ compendium decem disputationibus propositum: *Franekeræ* 1630 in 4.

De scriptis Medicis libri duo: *Amsterod.* 1637. 1651. 1662. in 8.

Manuductio ad Medicinam: *ibid.* 1637. in 8 *Lovanii* 1639. in 12.

Selecta Medica & ad ea exercitationes Batavæ: *Lugd. Bat.* 1656. in 4.

Medulla Medicinæ partibus quatuor comprehensa: *Franekeræ* 1642. in 8.

Hieronymi Cardani de utilitate ex adversis capienda libri IV. seriò emendati: *ibid.* 1648. in 8.

Medicina Physiologica, nova curataque methodo ex optimis quibusdam auctoribus contracta, & propriis observationibus locupletata: *Amsterod.* 1653. in 4.

De Hemicrania menstrua historia & consilium: *Lugd. Bat.* 1660. 1668 in 4.

Meletemata Medicinæ Hippocraticæ: *ibid.* 1660 in 4.

Hippocrates de circuitu sanguinis: *ibid.* 1661. in 4.

Oratio funebris in excessum V. CL. Adolfi Vorstii, Med. & Botan. Prof. Primarii: *ibid.* 1664. in 4.

Ex Disputationibus separatim à Lindano publicè habitis quoque sunt De Melancholia morbo: De sanitatis & morbi caussatis: De Febris essentia: De natura Medicinæ: De virulentia Venerea: Alcippus curatus: Sepia Volvox tribus dispp. proposita &c.

occurrat, unde divinas viri maximi dotes & merita in Academiam ingentia, per idoneum obnoxiorum & devotorum pectorum redhostimentum, videamur agnoscere. *In Coo Jene* diversa mirabantur veteres Athenæ. *Ortum* primo *ab Æsculapio*. At noster Semo non vani nominis Æsculapium animorum patrem,& Phœbum avum,cognomines ambos, laudat, illum *Hamburgensis Gymnasii Professorem*. hunc *Rectorem*, utrumque sua tempestate celebrem & nepoti filioque in par an multò præluſtrius decus divinitus oblatum. Nam à *Patre* isto, & Matre optima ac laudatissima, *Catharina Hermesia*, antiquæ & honoratæ inter cives prosapiæ, post primam in fonte fidelium lustrationem, is *anni, priore seculo, XCIX. d. 15. Nov.* ad eximiæ pietatis & elegantiæ speciem continuo formatus est. Et his fato concedentibus tenerum & orphanum Agnati, *Dn. Christophori Schelhammeri, P.L.C. & Collega ad D. Iohann.* clarissimi,amor & sollicitudo paternam æmulata ad pleniorem religionis, humanitatis & plurium linguarum notitiam mirificè provexit, testibus jam in illa ætate notis ingenii excellentis plurimis: quorum respectus movit Amicos, ut septendecim annorum adolescentem *VVitebergam* ire sinerent, fato perbono, cum ibi & Philosophiæ penetralia integro biennio perlustrarit, & Medicinam, duce Sennerto, illo per eruditum orbem tam illustri, feliciter auspicatus sit. Incepta verò *Lugduni Batavica* per alterum biennium, idque ab *A. C. clo Ioc XVIII.* magnis auctibus auxerit, in anatomicis & aliis Medicinæ operibus perpetuus. Tantò itaque paratior pervidendis & æstimandis longius positis, *Angliam* pervadit, mox & *Galliam*; è qua in *Italiam* transito, *Patavium* ut capax dotibus tantis theatrum, prudenter electa est. Patuit confestim, quam virtus suos latere non sinat. Occulto enim genio magnorum animorum conciliatore, inter primos congressus prodentibus sese excelsæ mentis & doctrinæ luminibus brevi inclaruit, adeò, ut ἀὐτὸς ante καὶ ἄπυστος & Proceribus Patavinis gratiosus esset, & Juventuti omnium nationum, Germanicæ præsertim, velut inter orbes luna minores, in exemplum virtutis & indolis eminentioris præiret. Ipsis in Sereniss. Republ. illustrissimis Contarenis fratribus Petro & Francisco tam cordi erat, ut palatium suum liberaliter permitterent publicæ anatomiæ, quam in cœtu trecentorum studiosorum tanta gratia & applausu instituit, quantam Acta Nationis Germanicæ ad invidiam usque deprædicant,

curam certatim expetitus & peroptatus extiterit e Ut nil de Sereniss. Saxon. Domus Ducibus, Dn. Wilhelmo, Dn. Alberto, Dn. Joh. Philippo, Dn Ernesto injiciamus, quorum *primus* cum *Conjuge* excellissima hunc sibi Archiatrum optavit, flagrantissimè dilectus & perpetua virtutum æstimatione. Non rarior in plerisque Germaniæ proximæ regiis, Hallense, Martisburgica, Cizense, Altenburgica, Coburgica, Holsato-Gottorpica, Brunsvico Cellense & Hertzbergica, Anhaltinarum Servestana, Cothenia, Bernburgica & Dessaviense, uti Comitum Illustriss. aulis, Schwartzburgicis, Glichense, Hazfeldica, Kirchbergica, Stolbergica; & summis Exercituum Præfectis ad valetudinis subsidium accersitus, non minore fide &, inter bellicos tumultus, periculo vitæ suæ promptissimus adfuit, quam ope consilioque præsenti & efficacissimo ægrotantibus subvenit. Quæ & olim fortuna Joannis Cratonis celebratur, qui trium Impp. consiliarius & medicus constantem gratiam sensit: noster heros apud omnes, quibus semel innotescebat, perinde eminuit: ultimis vitæ annis Sereniss. Ducis ac Domini nostri clementissimi BERNHARDI & *Vxoris* perinclytæ favorem illibatum expertus, quem nulla nisi mortalitatis hodiè luctuosæ violentia abrumperet. Nil nunc de nobilium, doctorum, & præstantium in omni ordine ac ætate hominum judiciis, spebus & votis dicimus, quorum illa meruit amplissima, hæc voce scriptoque, manu & medicaminum novis & saluberrimis inventis potentissime implevit. In Hippocrate Athenienses commendant, *quod peste à barbaris in Graciam pervadente, dimissis per regiones suis discipulis medelas indicarit, quibus & qui uterentur perservari, & qua ratione adhibitis infecti malo sospitari possent.* Rolfincius, ceu Pater medicorum, innumeram discipulornm non inficiandorum multitudinem per omnes Germaniæ partes emisit, in remotiora aliquibus & extremas septemtrionis oras penetrantibus. E quibus centum quatuorve Doctoræ Medicæ dignitate mactavit, talibus plerisque, quos juvenes senex collegas porrò & adstites consiliorum clarissimos adsciscerer. Hæc præsentis ac viva magnæ fortisque industriæ argumenta. Non leviora (quo nomine Senem Attica Pallas celebrat) *Scriptorum* accuratissimorum *subsidia* ad vitam & salutem humani generis præparavit, illa, quæ partim lucem dudum novo splendore auxerunt, partim enitescent in posterum, & solem hunc occasum

nil

nil deminuto fulgore radiosum ostendent. Magno, ita nos Deus amet, sui in Salanam amoris indicio, cui tot pignora virtutis, tam varias illecebras attrahendis erud.tionis Medicæque artis alumnis, non oportunius quam copiosius impertivit. Certè, si Hippocrati gloriæ fuit, *invitatum Magni Regis præmiis Græciam patriam prætulisse barbaro & hosti*; quid Rolfincio referamus, qui à Serenissf. Ducibus Holsato-Gottorpicis, Parente ad Archiatri speciosam & utilem provinciam, & Filio, qui hodiè feliciter imperat, pro illustriori Kiloniensis Academiæ incremento, ad primarii in Medica Facultate Doctoris munus clementissimè vocatus, Jenam, quæ florentis ac vegetæ virtutis campus fuerat, mansuram Senectuti sedem præoptavit? Sed ista, ut Medicæ gloriæ specimina, tamen longe infra mensuram viri summi, data sint. De eodem ut omnibus vitæ officiis tam æquabili, Senatore præcipue Academico ac Seniore nostro, & sextum (raro exemplo) Rectore alia deinceps commentatione opus foret. Verùm longius hæc opera procedit, & dolori nostro, qui tam sanctum, gravem, moderatum & providum rerum nostrarum arbitrum alienissimo tempore amissum gemebundi reposcimus, nunc tolerabilis non est. Erit autem, cum & horum decorum pars enixiori cultu à memori meritorum in egregium publicum pectore æstimabitur. Nunc privata, & suprema abripiunt. Virtus enim viri cum ordinis & publicæ vitæ operibus ostentui esset, *domesticis status* successibus non minus excelluit, in *Uxore* primum, *Sophia Margarita*, quæ quam genere clara, quippe celeberrimæ memoriæ JCto & Consiliario Aulico & Ecclesiastico Vinariense, meritissimo *Dn. Gunthero Henrico Plathnero p. m.* patre edita, tam matronalium decorum singularib. & publicè decantatissimis ornamentis illustris, *ab A. C.* 1642. *d.* 9. *Febr.* concors & lætissimum thori consortium præstitit. Inde & in *Conjugii pignoribus*, quorum cum quinque, ceu pulcherrima veris & ordinis virginei lumina, patre olim inspectante, non sine penito dolore animorum, extinguerentur, quarta spes in *Anna Catharina*, maternarum laudum herede, & Magnifici Aulæ Saxo Martisburgicæ Cancellarii, *Dn. D. Iohann. Christophori VVexii*, cujus doctrinæ & virtuti Academia hæc non parum debet, connubio felicissimo decorata, uti quinta in virgine *Maria Sophia*, hodienum sustentatur? Solatio ab utraque non evanido matri jam & viduæ mœstissimæ, quæ tam insigni marito

tota

tota vita sui amantissimo orba lacrymis & planctu, propè ut Panthea Abradata suo *apud Xenophontem*, consumitur. Ultimam Rolfincianæ magnanimitatis & prudentiæ fidem cura supremorum & eventus affirmant. Integer valetudinis, in robusto & continuis laboribus exercito corpore, quam potens morborum in aliis domitor tam imminentis sibi mali averruncus diutissime visus est, præsertim cum gravi vitæ periculo ante annos aliquot suis consiliis feliciter sese explicuisset. Ita proximo tempore quo calidæ destillationes in caput ruere ceperant, arte & naturæ bonitate derivatæ dissipatæque sunt. Nuper demum par incommodum oculo dextro incumbens, & alio deductum, cervicem nequicquam inflammavit, percurato ferè chirurgi opera loco affecto. Sed febris lenta & marasmus in senili & exhausto viribus corpore vitalia sensim depascens, per deliquia crebra brevi docuit, ventum ad supremum, nec aliam principi medicorum nisi à medica Jehovæ dextra opem peti haberique jam posse. Et noster ævi planè satur, spretis vitæ longioris & languidæ moris, æternitatem totus meditabatur: post sacræ synaxeos percepta ante paucos dies mysteria, præeunte summo Ecclesiæ hujus Antistite, maxime reverendo & excellentissimo *Dn. D. Sebastiano Niemanno*, in preces & desideria beatæ ἀναλύσεως effusus. Quo colloquio præparatior ecclesiastica consecratione componi, mox in levem somnum labi cepit, donec ante *Martis Diluculum hor.* 2. recurrentibus deliquiis & certiore defecturi specie, inter vota ardentissima, eodem quo spirans ac validus, oris animique habitu, Christiana constantia & tranquillitate admirabili, *media quinta* mortalitatem impleret. Hic finis Rolfincii fatorum. Quo familiæ clarissimæ luctu, quantoque nostro & dolore & damno, non cogitandi nedum eloquendi idonea facultas est. Sentiemus indies cladem tantam & boni, quo diutissime, per eximiam Dei gratiam, perfructi sumus, absentiam in omni reipublicæ nostræ vitæque parte tristes & indignabundi nequicquam incusabimus. Nunc memores humanitatis & justissimi in virum tot necessitatibus nobis conjunctum officii, corpus olim excelsum & visu ipso venerabile publica & quantum fieri potest, instructissima pompa ad conditorium suum Hor. I. perferemus. Nec minor Athenarum nostrarum in istum pietas & gratitudo emineto, quam quanto olim alteras illas fungi comperimus. Debitores sibi primum nos, ac dein

Ger-

Germaniam omnem, adeo quiquid bonorum & cordatorum per orbem est, sciat amplissima *Hamburgensium civitas*, quæ talem virum nobis ac bono universorum protulit, vicem receptura in prole sua, quantamcumque in hoc Musarum hospitio pubescere & tanto exemplo insistere voluerit. *Domui* etiam *mortui*, clade gravissima afflictæ, medelam & præsens Numine indulgentissimo favor, & Serenissimorum Academiæ Conservatorum gratia, & nostrum universorum studium enixè & opportune suggerent. *Magnum* verò *Rolfincium*, qui dudum summis æternitatis mysteriis initiatus fuit, adorea gloriæ in omnibus Minervæ certaminibus decorabimus, ut quicquid ex illo amavimus, quod mirati sumus, maneat in animis nostris, in æternitate temporum, in fama rerum. *Semper erit MAGNI ROLFINCI gloria vivax. Semper inexhaustis ibunt hæc flumina venis. Semper ab his docti ducentur fontibus haustus. Semper odoratos fundent hæc gramina flores, Unde pia libetis apes, unde inclyta nectat Serta comis triplici Salana gratia dextra!* P. P. d. 11. Maji, Anno Gratiæ M. DC. LXXIII.

SCRIPTA.

Dissert. de Hepate, ex veterum & recentiorum propriisque observationibus concinnata & ad circulationem accommodata: *Ienæ* 1653. in 4.

Methodus cognoscendi & curandi affectus capitis particulares, qui cerebro τῷ πρώτῳ αἰσθητηρίῳ insidiantur, dissertationibus XII. explicata: *ibid.* 1653. 1671. in 4.

Dissertatio de corde, ex veterum & recentiorum propriisque observationibus concinnata & ad circulationem accommodata: *ibid.* 1654. in 4.

Epitome methodi cognoscendi & curandi particulares corporis affectus, secundum ordinem Abuletri Rhazæ, ad Regem Mansorum libro nono, Hippocraticis, Paracelsicis & Harveanis principiis illustratæ & recognitæ: *ibid.* 1655. 1675. in 4.

Dissertationes Anatomicæ & circulationem accommodatæ: *Norib.* 1656 in 4.

Methodus cognoscendi & curandi febres: *Ienæ* 1658. in 4.

Ordo & methodus partium generationi Dicatarum: *ibid.* 1664. in 4.

Ordo & methodus Medicinæ specialis commentatoriæ, ad normam veterum & novorum dogmatum proposita: *ibid.* 1665. ejus continuatio 1669. in 4.

De Purgantibus vegetabilibus: *ibid.* 1667. in 4.
Consilia Medica: *ibid.* 1669. in 4.
Non ens Chymicum, Mercurius metallorum & mineralium: *ibid.* 1670. in 4.
Chymia in artis formam redacta: *Genevæ* 1671. in 4.
Dissertationes Chymicæ VI. de tartaro, sulphure, margaritis, auro, argento, antimonio, ferro & cupro: *Ienæ* 1661. in 4.
Disputationes non rarò de nobilissimis in Medicina materiis habuit, ut jam dictum, quibus accedunt aliæ, e. g. De partu difficili: De Hernia sive Enterocele: De renum & vesicæ calculo: De febre hectica: De tertiana intermittente: De Synocho putrida: De Arthritide: De Vertigine: De Mania: De Dolore capitis: De Scrophulis seu strumis: De Chylificatione læsa: De sanguificatione læsa: De valore Missarum: De quartana intermittente: De tussi: De scorbuto: De febre pedechiali: De Catharrho suffocativo: De salivatione: De suppressione mensium: De fœtu: De vertiginis διαγνώσει, προγνώσει ϗ θεραπείᾳ: De dolore colico: De Apoplexia: De calculo: De scabie: De Sycope: De Epilepsia, & si quæ sunt, quas nondum vidimus.

AD HONORIFICAM FUNERATIONEM,

VIRI NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI ATQUE EXPERIENTISSIMI DOMINI,

DN. DANIELIS BECKHERI,

Medicinæ Doctoris, Ejusdemque Professoris, P. Celeberrimi, Serenissimi Electoris Brandenburgici Archiatri atque Consiliarii,

Academiæ nostræ inter hos dies

RECTORIS MAGNIFICI,

CIVES SUOS INVITAT

PRO-RECTOR ATQUE SENATUS ACADEMIÆ REGIOMONTANÆ.

UT nunquam in tranquillitate subsistit Euripus, sed reciprocantium undarum fluxu atque refluxu agitatur: ita res homnium mirificis vicissitudinibus feruntur, atque hoc solum in iis certum est, quod nihil illis in sit certi. Permutantur lætis tristia, & si quid gaudii contigit, mox illud exterit dolor aliquis & casus, qui pro jucunditate, qua delectati ante fuimus, meram amaritudinem nobis propinat. Pulcherrimo nobis emblemate hanc rerum nostrarum conditionem exprimunt pictores, quando in tabulis ab oculos ponunt alveare, ex cujus parte inferiore purissimus mellis liquor sudat, ex superiori autem parte, tristissima cupressi arbor insurgit. Quid aliud volunt, quam inter gaudiorum nostrorum exundantiam misceri dolores, quin & properare letum, quod ex media vitæ nos voluptate avocet, tristemque cupressum, mortalitatis nostræ apud Romanos Symbolum & signum defigat. Nunquam non harum vicium documenta capere licet, & facit in præsenti fidem VIR NOBILISSIMUS, EXCELLENTISSIMUS, AMPLISSIMUS ATQVE EXPERIENTISSIMUS PER HOC SEMESTRE ACADEMIÆ NOSTRÆ RECTOR MAGNIFICUS, DOMINUS DANIEL BECKHERUS, MEDICINÆ DOCTOR, EJUSDEM PROFESSOR PUBLICUS, S. ELECT. BRANDB. ARCHIATER ATQVE CONSILIARIUS, COLLEGA NOSTER DESIDERATISSIMUS, qui ex viduitatis luctu respirans, dum vix novam sibi thalami Sociam conjunxit, nuptiali festivitate inter solennissima gaudia concelebrata, subito & inopinato vitam cum morte commutavit. Adeo verum illud Lucani:

- - medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid quod in ipsis floribus angat.

Indicat Poëta voluptatis nostræ defluxum nunquam esse sincerum, sed vel ex ipsis mellifluis humanæ jucunditatis fontibus subinde, & amaritudinem scaturire. Idem nobis evenire quod illis qui in amœnissimis viretis obambulantes nunc herbas legunt, nunc lilia, nunc rosas aliosque pulcherrimos flores carpunt, ex improviso autem lethali serpentis ictu sauciantur. Prorsus idem nobis accidit, qui dum medias inter amœnitates nos vivere arbitramur prope mors est, inevitabili telo nos transverberans atque elidens. Commode nobis hæc meditantibus succurrunt arbores de quibus Caulinus ex Pausania & Theophrasto: In Arabia sunt bal-

balsami Arbores, ea, qua myrti stirpes magnitudine: Folia illis qualia herbæ amaraco: ad eas cubilia figunt viperæ, ut quas non modo Balsami liquor, sed ipsa fruticis umbra delectat. Ubi legendi liquoris tempus fuerit, Arabes lignearum regularem complosione bestias fugant, occidere enim nefas putant: & si quem forte momorderint lethalis non est plaga: Præstantissimi enim laticis odore veneni acerbitas mitescit: Arbores illæ vitam nostram repræsentant, suavissimi balsami liquor voluptates notat quibus subinde perfundimur, ut tamen semper aliquid acerbitatum admisceatur, atque cum magnopere nos delectare atque reficere studemus mors prorumpit teterrima, quæ lethale exhalans venenum omni nos jucunditate privat atque destituit. Ita nunquam gaudia mundi certa sunt sed cruciatibus & ærumnis, oppleta. Quod si unquam graphicè Seneca atque suis coloribus depinxit: Quid quod gaugia quoque eorum trepida sunt? Non enim solidis causis innituntur, sed eadem qua oriuntur vanitate turbantur. Qualia autem putes tempora esse, etiam ipsorum confessione misera, cum hæc quoque quibus se attollunt, & supra hominem efferunt, parum syncera sint? Maxima quoque bona sollicita sunt: Nec ulli fortunæ minus bene quam optimæ creditur. Atque quidem quo securiores sumus nostris gaudiis, quo majores capimus animos in prosperiori rerum nostrarum successu, eo propinquior dolor est, subinde & mors obrepere solet. Cum longe à nobis abesse inevitabilem hostem nobis persuademus, eo propior nobis nihil tale sperantibus incumbit. Tunc sane dum in prosperæ fortunæ flatu ultimæ horæ obliviscimur, imminent extrema momenta, quibus gaudiis nostris atque fortunatis stationibus cedere jubemur. Bene Cicero: quæ hora quietis & tranquillitatis plenissima esse videbatur, in ea maximè molestiarum & turbinum tempestates exstiterunt. Itaque pulcherrimum monitum est, quod auribus nostris insusurrat Tragicus:

Nemo confidat nimium secundis,

Nam fortunæ ex sententia Minutii malè fiditur. Est cur exclamemus:

O funestus multis populis
Dirusque favor, qui cum flatu
Vela secundo ratis implevit,

Vexitque procul, languidus idem
Deserit alto, sævoque mari.

Atque videmus fortunam sæpe nos in alta evehere Fastigia, perfundere deliciis, ut molli & jucunda illa via in perniciem nos abducat. Veluti enim victimæ saginantur ad supplicium, & hostiæ coronantur ad pœnam: ita insignit nos fortuna honoribus tractatque delicatius ut affligere possit gravius. Mirabile festum celebratur apud Persas, Saccarum appellitant, quo unum ex captivis eligunt jam capitis damnatum, quem regali Solio effulciunt, purpura induunt, Sceptro adornant, cui suavissimos meracioris liquoris haustus propinant, cujus mensam regalibus eduliis gravant, quem saliarem in modum epulari atque omnia pro libidine agere permittunt: Sed ludo finito tot opibus ille beatus verberibus contunditur, atque miserrime agitur in furcam. Talis in vita humana lusus est, talia festa inter homines quotidiana, quos videmus nunc deliciari, sed medias inter jucunditates affligi sæpius & strangulari. Atque quidem BEATISSIMUS noster annon in splendidissimo honorum apparatu quando MAGNIFICUS ACADEMIÆ NOSTRÆ RECTOR regali purpura atque Sceptris incedebat, quando inter novos thalamos, in prospero rerum successu, inter epulas nuptiales deliciabatur, ex insperato tamen Fatorum violentiæ cessit, abunde hæc omnia quæ deduximus confirmavit. Lachrymabilis sane casus est, atque pro scævo omine habendus nostræ Academiæ, quæ inter alias plurimas difficultates, nunc & capite suo orbata est. Illachrymandum sorti mœstissimæ viduæ, cui brevissimum illud gaudium, brevissimus ille cum suavissimo conjuge convictus longa dolorum series est atque materia, maximè verò condolendum charissimis liberis, quos septem, omnes adhuc fideli educatione egentes reliquit. Sed quid imus in lachrymas & planctus, quid dolemus? quod dolendo mutare non possumus. Hæc humana conditio est, hæc posita lex est vitæ nostræ, ut nullo non tempore eam nobis casus aliquis eripere possit. Quem quia declinare atque mutare haud possumus; Acquiescendum præsentibus est, & æquo ferenda animo sors, quam Deus pro tempore nobis imponit. Cepit autem has auras libare anno 1627. d. 5. Januarii, progenitore VIRO NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO DN. DANIELE BECKHERO MED. D. EJUSDEM

DEMQVE P. P. NEC NON SERENISSIMI ELECTORIS BRANDB. ARCHIATRO, ATQVE CIVITATIS KNEIPHOFIANÆ PHYSICO CELEBERRIMO, genetrice NOBILISSIMA ATQVE SUI SEXUS VIRTUTIBUS ORNATISSIMA MATRONA MARIA, NOBILISSIMI ATQVE CONSULTISSIMI DOMINI JOHANNIS Jenßen/ MERITISSIMI OLIM WITTENBERGENSIUM CONSULIS FILIA: Qui Parentes amantiſſimi id ſolicite accurrarunt, ut Salvatoris Sacris initiatus in pietatis, artium atque linguarum exercitiis adoleſceret, Quare prudentiſſimos in educatione ipſi Magiſtros ſubmiſerunt, ſub quorum ductu atque inſtitutione ita feliciter profecit, ut mature magnæ virtutis atque ſcientiæ ſpem faceret. Etenim dum Thorunii undecennis ſubſiſtit, intra biennium non linguam tantum Polonicam comprehendit, ſed & Solida humanioris literaturæ fundamenta jecitt. Itaque domum reverſus CLARISSIMI MAGISTRI SCHEIDII, NUNC APUD ARGENTORATENSES PROFESSORIS FAMIGERATISSIMI informatione tantum ſuperſtruxit, ut inter Jubilæi Academici Solennia ipſe ſeptendecim annorum Adoleſcens inter magnorum virorum applauſus publicè peroraret, accedentibus deinde variis diſputationibus, in quarum conflictu quantum valeret ingenio, memoria atque judicio, jam tum abundè demonſtravit. Nam & domeſtico Parentis exemplo excitabatur, diverſorumque CLARISSIMORUM MAGISTRORUM quotidiana inſtitutione non poterat non perfici atque grandia capere ſtudiorum incrementa. Qui in ſole ambulant luce illius colorantur: Ita qui aſſiduè hærent ab ore doctiſſimorum hominum luminibus ſcientiarum colluſtrantur. Sed jam Tempus imminebat, quo exteras Academias ingrandius ſtudiorum ſuorum emolumentum viſitaret, atque ſtuderet augendæ doctrinæ, quam in noſtra Academia jam copioſe imbiberat. Quare divini Numinis ductu anno 1646. d. 24. Junii navim ſolvit, atque LUBECAM, HAMBURGUM, aliasque famoſas inter hos diſtrictus civitates prætervectus, WITTEBERGENSEM ACADEMIAM, ingreditur, annumque ibidem integrum commoratus dies noctesque libris ſuis non tantum impalluit: Sed & circumjacentes Reſpubl. & oculo animoque perluſtravit. Hinc excurrit in ſuperioris Germaniæ Academias LIPSIENSEM, JENEN-

NENSEM, ALTORFFINAM, INGOLSTADIENSEM, TUBINGENSEM perspicit, plurimas PRINCIPUM AULAS, atque urbes videt, HORTOS cum primis MEDICOS atque CAMERAS ANATOMICAS, aliaque quam plurima professioni suæ olim profutura contemplatur, ubique accurata opera enotans, quæ memoratu digniora videbantur. Sed ARGENTORATI pedem figit, & si unquam alias hic præcipuè summa diligentia suæ Professioni incubuit, tantosque fecit, progressus, ut jam in famam iret Clarissimorum Professorum atque dignus haberetur, cui supremi in Medicina honores destinarentur. Interea flagrabat mirifico desiderio lustrandi universam GALLIAM atque ITALIAM, cujus gratia iter molitur atque provolat. Veluti enim cœlum stare nescit, sed jugi agitatione se vegetat; Ita mentes æthereæ quiescere non possunt, usque, quicquid orbis habet, indagaverint. Verus autem PEREGRINATOR BEATISSIMUS NOSTER ERAT, qui quicquid vidit virtutis exteræ gentis, sibi proprium reddidit, quicquid vitii transmisit atque detestatus est: Longe alius ab illis qui nulla habita virtutum ratione obviis se exterorum criminibus collutulant. Noster ubi alii araneas imitati venenum sugunt, ille volitantium apum imitator mel meracissimum libavit. Aut veluti amnes aquarum suarum dulcedinem inter Salsugines servant & transferunt; Ita ille ubique virtutis observantissimus, per exterorum vitia intaminatus abivit. Neque quod aliis Solenne Regiones ea potissimum parte inspexit, qua se inspectioni subducunt; Non ruta & cæsa superstitioso horrore pervestigavit: Non sectatus est sepultas provincias, ut negligeret præsentes: Non miratus est rudera subversarum urbium prostantium artibus, sed tempora sua rebus, studia vitæ, labores moribus impendit. Penetrabat se animo in Rerumpubl. animas, varios excutiebat administrationis modos, formas, ordines, mores Gentium, leges, statuta, fundamenta. Testis horum omnium libellus, quo manu sua peregrinationis suæ cursum perscripsit, qui ambiguum facit an Professionis medicæ an Politicæ majorem ubique rationem observaverit. His legibus ivit per BASILEAM IN GALLIAM atque in celeberrima Academia MONTIS PESSULANI studium cumprimis Botanicum excolens herbarum atque fruticum vires studiosissimè trutinavit. Hinc recepit se in MARSILIAM, vidit SAVONAM illu-

strem

ſtrem ADARMUM ACADEMIAM. QVIN ET BONONIAM, MAGNIFICAM ITALIÆ SCHOLAM SALUTAVIT.

Subſtitit VENETIIS, viſisque notatu digniſſimis PATAVINAM Academiam fœcundum Medicorum Seminarium ſalutavit, ubi ad annum 1650. commoratus, facile humaniſſima ſua fronte, moribus politis atque concinnis ſe in familiaritatem profitentium non tantum, ſed & magnorum Principum, Baronum atque Comitum conſuetudines intromiſit. Hinc poſtquam viderat ROMAM, atque PARADISUM NEAPOLITANUM, viſisque omnibus Antiquitatum ibi exſtantium monumentis regreſſus eſt ARGENTORATUM atque meritos dudum ſupremos in medicina honores Anno 1652. d. 22. Septembr. inter virtutis atque artis ſuæ decantata præconia feliciter eſt conſecutus. Dives ita honoribus atque doctrina, ut recrearet ſuos, per Bataviam in patrias ſuas ſedes revenit, nec diu poſt nobiliſſimam atque ſuo ſexui virtute PRÆLUSTREM VIRGINEM REGINAM, NOBILISSIMI DOMINI CHRISTOPHORI SCHIMMELFENGII, HÆREDITARII IN Gunicken/ FILIAM amantiſſimam Anno 1655. ſibi junxit. Tranquilliſſimum atque fœcundiſſimum fuit hoc illius conjugium quando ex amantiſſima uxore duodecim liberos, ex quibus ſeptem adhuc ſuperſunt, quos omnes potentiſſimo orphanorum Patrono commendamus, ſuſcepit. Sed nec defecit eum fortuna in promotione, quando Sereniſſimi propitia voluntate Anno 1653. Profeſſor Ordinarius atque de hinc An. 1663. Conſiliarius atque Archiater conſtituitur, quibus Provinciis ſumma fide atque dexteritate non ſolum eſt defunctus, ſed & defluente illo tempore SEPTIES FACULTATIS MEDICÆ DECANUS, bis autem MAGNIFICUS ACADEMIÆ RECTOR, in quo ſplendido atque pompatico honore & vitam finiit, eſt ſalutatus. Interea ſuo quotidie Numini vacabat, aſſiduus aderat Eccleſiæ, attendebat myſtis, intermiſcebat hymnos, ex abundantia ſua in pauperes deſtribuebat largiter, cum omnibus humaniter atque candide convivebat. Imminentem cumprimis mortem quotidie ſibi ob oculos ponebat, unde in frontiſpicio libelli ſui adſcripſerat: Labora quaſi ſemper victurus, vive quaſi cras moriturus. Regula auro atque cedro digna! Quam utinam omnes quotidie legerent atque meditarentur. Profuit

fuit ipsi hæc quotidiana mortis meditatio, ut mors inspeꝛata non imparatum pectus invenerit. Etenim vix secunda dederat vota Nobilissimæ atque in exemplum PRÆLUSTRI VIRGINI SOPHIÆ, VIRI NOBILISSIMI ATQVE CONSULTISSIMI DOMINI CYRIACI HEILSBERGERI SENATORIS IN PALÆOPOLI GRAVISSIMI FILIÆ, cum fine ullis mortis adrepentis indiciis, morti tamen, cum illud minime sperabatur, succubuit. Sed præparatum fuisse illius, pectus ad ultimum illum sustinendum ictum certum est, quando & quotidiè de vitæ suæ exitu cogitavit, & novissima vespera inter devotissimas preces & hymnos quos quotidie cum familia sua intonabat animam suam Divino Numini commendavit. Ac cum ad horam I. postea solenne funebre instituendum sit, vos adhortamur serio, ut MAGNIFICI VESTRI RECTORIS EXEQVIAS decenti comitatu frequentes velitis prosequi & celebrare. P. P. ad diem 7. Februarii anno recuperatæ gratiæ 1670.

In Effigiem
Excellentissimi Medici,
DANIELIS BECKHERI.

BECKHERUM ecce tibi, Lectore, quem clara disertum
Produxit Gedanum Prussidos Hippocratem.

SCRIPTA.

Spagyria Microcosmi, tradens Medicinam è corpore hominis tum vivo, tum extincto doctè eruendam, scitè præparandam, & dextrè propinandam: *Rostoch.* 1622. in 12. triplo auctior & correctior: *Lugdun. Batav.* 1633. in 4.

De Cultrivoro Prussiaco, observatio & curatio singularis, Decade positionum, variis variarum observationum historiis refectarum, illustrata: *Regiomon.* 1636. in 4. *Lugd. Batav.* 1638. 1640. in 8. Germanicè: *Regiom.* 1643. in 12.

Medicus Microcosmus: *Lugd. Batav.* 1633. in 4. & *Londini* 1660. in 12.

Histo-

Historia Morbi Academici Regiomontani, seu Febris malignæ Epidemicæ civibus Academiæ, imprimis Communis Electoralis Mensæ Convictoribus funestæ, cum indolis & causarum ejusdem explicatione, Problematibus nonnullis inclusa: *Regiom*. 1649. in 4.
Nützliche kleine Hauß-Apoteck von Beschreibung des Hollunders und Wacholders: Königsberg 1650. in 8.
Vom Blutgang: *ibid*. in 4.
Anatomia infimi ventris XII. disputationibus delineata: *Regiom*. 1634. in 4.
Disputavit quoque de Asthmate: De Cardialogia: De Dysenteria: De Catarrho: De Pestilentia &c.

PROGRAMMA
In funere
Viri Nobilissimi, Experientissimi atque Excellentissimi,
DN. JOHANNIS THEODORI SCHENCKII,
Medicinæ Doctoris & in alma Academia Salana Professoris longè meritissimi & celeberrimi,
P. P.
à
RECTORE ACADEMIÆ JENENSIS,
FRIDERICO BECHMANNO,
SS. Theol. D. & P. P.

OCtavus iste dies est, ex quo diuturna molestissimaque infirmitate, & acerrimis cruciatibus tandem liberatus

placido exceſſu, & inter ipſa initia ſacrorum publicorum, quibus Eccleſia noſtra celebrationi Natalitiorum Servatoris noſtri ſe parare ſolet, ad Jeſum ſuum, quod toties & tam anxie optaverat, migravit, vir nobiliſſimus, experientiſſimus atque excellentiſſimus, DN. JOHANNES THEODORUS SCHENCKIUS, Doctor Medicus celeberrimus, & in Academia hac per annos amplius octodecim Profeſſor publicus ac ordinarius longe meritiſſimus. In quo ſicuti nos collegam & amicum conjunctiſſimum, Vos, Cives optimi, Senatorem ac Profeſſorem prudentiſſimum dexterrimumque, ac haud pauci doctorem fideliſſimum, amiſiſtis: ita quod pietatis officium collega collegæ, amicus amico, civis Senatori, præceptori denique auditor ac diſcipulus debet, id beate defunctus hodie jure optimo à nobis expoſcit. Ac Vos quidem quin hora I. poſtea ad exequias Viri frequenter nobiſcum coituri ſitis, merita illius in Academiam hanc & rem medicam, famaque per orbem eruditum longe lateque ſparſa, dubitare nos haud ſinunt. Quæ vero præterea noſtri ſunt muneris in commemoranda vita τȣ̃ μακαρίτȣ, ea nunc breviter hac charta exſequemur. Natus in hoc oppido eſt anno ſeculi hujus XIX. die menſis Auguſti XV. Pater, iiſdem quibus noſter dignitatum honorumque titulis inſignis, EUSEBIUS SCHENCKIUS, dictus de Burgkſtadt, ultra decennium in Academia hac profeſſioni Medicæ, magna pietatis, eruditionis, dexteritatis, ſollertiæ, & integritatis laude, præfuit. Mater URSULA NÆVIA, religioſo Numinis cultu, & ſexum ſuum decentibus virtutibus pleriſque conſpicua. Ambo claro ſpectatoque genere orti. Pater enim, viro reverendo, Petro Schenckio, de Burgkſtatt dicto, SS. Theologiæ Baccalaureo, & Crolopenſis in Bohemia Eccleſiæ, quarto ab Annæberga Miſniæ lapide, Paſtore, ac Rebecca, ſpectatiſſimi viri, ANDREÆ GESNERI, Prætoris Cygnæi, filia, matrona honeſtiſſima, genitus, avum habuit Johannem de Burgkſtadt, rei culinariæ in aula Divi Erneſti, Saxoniæ Electoris, præfectum: & à Friderico III. Imperatore anno Chriſti CIↃ CCCCLXV. jure armorum inſigniumque, litteris Neoſtadii ad Mittichin pridie diei S. Franciſco in faſtis ſacræ conſcriptis, donatum. Mater autem ex vetuſta & patricia Chemnicienſium familia NÆVIA ortum traxit, quæ non modo patriæ urbi Zachariam, Rebeccæ patrem, Prætorem; & Paulum, avum ejusdem, Conſulem; ſed etiam rei litterariæ duos dedit fra-

tres,

fratres, professione Medicos & fama celebres, Joannem & Casparum, ejusdem laudatissimæ matronæ propatruos. Quorum ille, duorum Saxoniæ Electorum, D. Mauricii, ac D. Augusti, Medicus, supra genium sæculi illius eruditus, & bis à Divo FERDINANDO I. Cæsare valetudinis causa Viennam evocatus, etiam eximia liberalitate in pauperes ac bonarum literarum studiosos, & rara singularique prudentia ac felicitate aulica inclaruit. Casparus autem, Medicinæ in illustri Lipsiensi Academia Professor fuit, felix septem filiorum pater, quorum tres utriusque Juris, duo Medicinæ Doctores, ac duo reliqui Jurium Candidati: omnes autem meritis ac dignitate in præcipuis aliquot Germaniæ civitatibus, quibus præclaram navarunt operam, eminentes clarique fuerunt. Sed redeamus ad Nostrum. Hunc, matre anno ætatis tertio statim, patre octavo, orbatum propinqui, cum ingenio docili & studiis idoneo esse deprehendissent, anno clↃ IↃcXXIX. Numburgum in ludum litterarium missum, Conrectori illius, M. ADAMO RUPERTO, commiserunt. Illic exacto biennio, revocatus à Tutore suo, & suasu celeberrimorum Theologorum, D. *Ioannis Gerhardi*, Susceptoris sui, ac *D. Ioannis Himmelii*, in scholam Arnstadiensem ablegatus est. Ubi fideli institutione D. Joannis Groshaini, & M. Andreæ Stechanii, Rectorum: ac Davidis item Alberti, Conrectoris, sexennii spacio eos in humanioribus litteris ac Philosophia progressus fecit, ut anno clↃ IↃc XXXVI. cum fructu in Academiam patriam redire posset. Verum ob turbas bellicas & grassantem heic luem pestiferam statim anno sequenti discedere coactus est. Concessit igitur Servestam ad adfinem suum D. Nathanem Voigtium, urbis illius Medicum ordinarium, à quo non solum filii loco habitus, & fideliter Institutiones Medicas, & Botanicen cum pharmaceutica edoctus; sed etiam anno clↃ IↃc XXXVIII. in Academiam Lipsiensem missus, & partim illic sustentatus, ac celeberrimo Medico D. Joanni Michaelis commendatus fuit. Sed cum incendium belli etiam Misniam corriperet, nec ille ultra frui stipendio Næviano posset, An. clↃ IↃc XXXIX. huc rediit, ac telam studiorum suorum proximo biennio ductu, favore, fidelissima institutione clarissimorum Medicinæ Professorum, D. Guerneri Rolfincii, hodie sui Ordinis totiusque Academiæ Senioris, ac D. Pauli Marquardi Slegelii, b. m. (quorum paternum erga se adfectum prædicare sole-

solebat) auscultando disputandoque pertexuit, artisque nobilissimæ solida fundamenta jecit. Eorundem suasu anno cIↄ Iↄc XLI. cum in transitu Academiam Altorfinam, & illius tractus Civitates Imperiales, ac æternam Venetorum urbem adiisset, Patavium se contulit. Heic per biennium integrum feliciter studia continuavit sua, promotoribus eorum præcipuis usus viris fama meritisque longe præeminentibus, Joanne Veslingio, Joanne Baptista Sylvatico, Dominico Sala, Petro Marchetto, & Andrea Virsungo. Eodem tempore & Bononiam, Senas, Florentiam, Neapolim, ipsamque Romam, olim caput orbis, magno studiorum suorum emolumento, etsi non sine ingenti discrimine; excucurrit. Mox relicta ob adversam valetudinem cultissima terrarum Italia, redux in patriam, Numburgi praxi Medicæ operam dedit, usus consilio ac familiaritate D. Fabricii, aliorumque urbis illius Medicorum. Anno cIↄ Iↄc XLIII. die VII. Decembris, summos in Medicina honores, suadente jam laudato D. Rolfincio, modeste ambiit, ac editis consuetis profectuum speciminibus, habitaque sub Ejusdem umbone inaugurali *de melancholia hypochondriaca* disputatione, paulo post cum adplausu in solenni panegyri adeptus est. Ex eo tempore permissu gratiosissimi Medicorum Collegii scholas medicas privatas instituit, ac medicinam facere perrexit: donec Anno cIↄ Iↄc XLV. à Chemniciensibus ad munus Physici ordinarii evocaretur. Anno cIↄ Iↄc XLIX. à perillustri Domino, DN. CHRISTIANO, & anno cIↄ Iↄc LI. à perill. itidem Domino, Dn. Gvolfgango Henrico, Dominis à Schönburg, Dynastis Glauchæ & Waldenburgi ad obeundas functiones Medici aulici accitus, utrobique, sicut & in aulis reliquorum Dominorum à Schönburg, quoties ab iis opera ejus expetita est, feliciter medicinam exercuit. Anno cIↄ Iↄc LIII. à Serenissimis Academiæ hujus Nutritoribus, Dominis nostris clementissimis, professioni Medicæ præfectus est, quam per annos XVIII. magna diligentia, fide ac sollertia, magnoque studiosæ juventutis cum fructu administravit. Quanta eruditione fuerit, vel scripta viri fidem abunde fecerint; è quibus jam lucem adspexere *Hortus plantarum Academiæ Ienensis*; *Exercitationes Anatomicæ*; *Schola partium corporis humani*; *historia de sero sanguinis Lib. de humor. Synopsis Medicinæ generalis novantiquæ, Syntagma componendi & præscribendi medicamenta*, ne de variis disputationibus

nibus Academicis nunc dicamus. Plura jam adfecta habebat alia, editurus itidem si vitam ei diutius divinum Numen prorogasset. Quibus omnibus factum est, ut fama eruditionis ejus jamdudum per orbem litteratum propagata fuerit, amicitiamque cum eo & litterarum commercium inierint coluerintque passim viri varia doctrina scriptisque immortale nomen consequuti, in his *Thomas Reinesius, Cunradus Victor Schneiderus, Ioh. Georgius Volcamerus, Henricus Meibomius, Phil. Iacobus Sachsius, Georg. Hieronymus VVelschius*, Germani: ex Italia vero, *Athanasius* Kircherus, *Otto Tachenius, Marcellus Malpigius*: è Gallia *Guido Patinus*: è Dania *Thomas Bartholinus*: è Belgio *Franc. Sylvius de le Boe.* Rectoris Academici munere ter; Decani ac Brabeutæ, sæpius functus est. Matrimonium bis iniit: semel cum lectissima virgine, ANNA, Dn. Melchioris Straubii, Chemniciensium Consulis meritissimi, filia, An. cIɔ Iɔc XLVIII. iterum, cum puella itidem ornatissima, ANNA ELISABETHA, Dn. Joannis Soergelii, hujus oppidi Consulis, filia natu minore, anno cIɔ Iɔc LIX. Et cessit utrumque haud male: prius & secundum quadruplici prole fuit. Filiolum enim in eo suscepit unum, *Eusebium Erdmannum*; filiolas tres, *Catharinam Reginam, Christianam Sophiam, Annam Martham*: sed omnes vixdum anniculos amisit. Posterius steriles quidem fuit: sed damnum id abunde compensavit fides & amor conjugis, & in illa diuturna molestissimaque infirmitate pæne incomparabilis, rarique admodum exempli, & à marito sæpius prædicata pietas, constantia, ac patientia. Qua ipse pietate in Deum, quo candore, qua integritate, quo veritatis ac justitiæ studio, qua denique beneficentia & promtitudine erga pauperes & opis suæ indigos fuerit, norunt, qui familiariter cum eo versati sunt. A teneris usque hereditaria quadam dispositione in morbum hypochondriacum, catarrhos, & phthisin proclivis fuit: sæpiusque sputo sanguinis adflictus est, quibus malis anno cIɔ Iɔc LVIII. cum viduus per hebdomadas V gravissime decumberet, dolores ex calculo accesserunt, quos & ex eo tempore subinde ad finem vitæ usque exquisitissimos sensit. Novissime magis magisque invalescentibus doloribus inveteratis asthma vehemens superveniens, & inde orta continua ἀγρυπνία, quicquid ægro virium supererat, exhausere penitus, omnemq; remediorum vim superarunt. Igitur die mensis hujus X. sacro viatico corpo-

corporis ac ſanguinis Dominici inſtructus, & oraculis divinis, cum à ſemetipſo, tum ſæpius à Miniſtro Eccleſiæ confirmatus adverſus noviſſima, tandem die hujusdem menſis XXI. inter horam VIII. ac IX. matutinam, mente integra, & firma in Servatorem ſuum fide, inter ſuorum & Dn. Nicolai Weberi, Paſtoris & Adjuncti in groſſen Eitersdorff/ preces placide exſpiravit: cum vixiſſet annos LII. menſes IV. ac dies VI. Exanime corpuſculum hodie hora I. ut jam diximus, efferetur & ritu Chriſtiano in æde Academica juxta exuvias prioris conjugis humabitur. Cui funeri etſi confidimus Vos ſponte frequentes interfuturos, tamen ut faciatis, more conſueto Vos hortamur. P. P. d. S. Joanni Evang. ſacro, h. e. Decemb. XXVII. an. cIↃ IↃc LXXI.

Concio præclaro huic Medico habita fuit *lugubris* à *Sebaſtiano Niemanno*, SS. Theol. D. P. P. & Superint. ex *Philipp. I, 21.*

EPICEDIA.

SCHENCKI tantus eras, & tot clariſſima dudum,
 Sol Medici cœtus, munera mentis erant,
Ut te non poſſent terrarum longius oræ
 Ferre, ſed ætheriæ te petiere domus.
Mente volutaſti, voviſti ſæpius illas,
 Illas æternum nunc habitare licet.

GUERNERUS ROLFINCIUS,
Phil. & Med. D. Practicæ ac Chimiæ
P. P. Academiæ Senior.

ARtis grande Decus Medicæ, quem tota Salana
Parnaſſique Chorus, Muſarum templa, theatra
Uſque ſtupent, terræ peregrinæ quem venerantur,
Hippocrati tanquam celſo non inferiorem,
Qui Medicis manibus triſtis depellere morbos
Calluit, ac hominum cura producere fatum:
Cujus Pæoniis, herbis, validaque medela
Ipſius mortis furor eſt eluſus, & Ægris
Recta valetudo regno regalior omni
Reddita, quem Pietas, Virtus, Doctrina ſaluti
Servarunt noſtræ, hunc, eheu! mors impia tollit,
Accepti damni jam nunc ultura dolorem.
Abſtulit illa quidem languentem corporis umbram,

Inclyta Fama tamen nunquam moritura manebit,
Vindice dum seros calamo descendet in annos,
Felici medicos pangendo & Apolline doctos
(Ultores aderunt alieno in corpore) libros.

NICOLAUS MICHAEL Hüñel/ D.

SCRIPTA.

Humorum corporis humani historiæ generalis: *Iena* 1654. 1663. in 4.
Dissertatio de Fœniculo: *ibid.* 1665. in 4.
De sero sanguinis, ex veterum & recentiorum scriptis, historia: *ibid.* 1655. in 4.
Exercitationes Anatomicæ: *ibid.* 1662. 1664. in 4.
Observationes Medicæ: *Lugd. Batav.* 1644 in fol. *Franc.* 1665. in fol. 1670. in 8.
Synopseos Institutionum Medicinæ Disputatoriæ Prolegomena Physiologia & Pathologia: *Iena* 1668. 1672 in 4.
Pars Semiotica, Hygieine & Therapeutica: *ibid.* 1671. in 4.
Schola partium corporis humani: *ibid.* in 4.
Syntagma componendi & præscribendi Medicamenta: *ibid.* 1672. in 4.

Disputationes habuit non adeò paucas de nobilissimis quibusdam in Medicina materiis, e. g. De Imbecillitate ventriculi: De Dysenteria: De Pleuritide: De macie puerorum ex fascino: De Ophthalmia: De Peste: De lassitudine: De Morbillorum & Variolarum cognoscitiva & curativa: De fermentantibus, sedativis & præcipitantibus: De Conceptione: De methodo cognoscendi & curandi obstructiones: De Angina: De cholera: De terra sigillata; De sero sanguinis &c.

FINIS.